MAGNORVM MORALIVM ARISTOTELIS LIBRI DVO,

Gerardo Ruffo Vaccarienſi, Olerenſi Epiſcopo, & Cœnobiarcha Cleriaco, interprete.

οὕτως ἡδονῶν ἀπέχου ὀλεθρίων.



Sic pernicioſis uoluptatibus abſtine.

PARISIIS
Ex typographia Ioannis Barbæi
M. D. XLVI.
Veneunt Iacobo Gazello ſub inſigni Coloniæ Agrippinenſis.

MAGNORVM MORALIVM ARISTOTELIS LIBER PRIMVS.

Gerardo Ruffo Vaccarienſi, Olerenſi Epiſcopo, & Abbate Cleriaco, interprete.

De quo bono hic determinandum ſit. Cap. I.

POSTQVAM de moribus dicere elegimus, operæprecium fuerit ſcrutari primùm, cuiuſnã facultatis pars, mos eſt. Vt igitur paucis perſtringam: nullius præterquam ciuilis facultatis pars eſſe uidetur. In rebus nanque ciuilibus nihil probè peragi poteſt, niſi qualis, qualitatéque affectus quiſpiam adſit. Qualem autem quempiam, idem quod ſtudioſum probúmque eſſe, uelim intelligi. Porrò ſtudioſum eſſe, idem quoque quod uirtutes habere. Si igitur ciuilibus in rebus actiuus, actioníque accommodus futurus eſt aliquis: is ſecũdum mores ſtudioſus ſit neceſſe eſt. Quocirca quod circa mores eſt negocium & pertractatio, ciuilis facultatis pars eſt, ut uidetur, eáque prima, ac principium. Vniuerſa porro pertractatio appellationem quoque mihi apparet iure ſortita non moralem, ſed ciuilem. Cõgruit ergo (ut eſt uidere) primùm de uirtute, & quid ſit, & ex quibus exoriatur, pertractare. Nam noſſe quidẽ quidnam ſit uirtus, quomodo uerò ſit, & ex quibus, non agnoſcere: nihil fortaſſe confert. Non enim ea duntaxat ex re opus eſt uirtutẽ ſcrutari, quò quidnam ſit perpendamus: uerùm etiã ut ea quoque ex quibus conſtat, non lateant, eadem conſideranda eſt: quandoquidem ipſi ſcire, & tales eſſe, pariter uolumus. Hoc

autem consequi minime poterimus, nisi ex quibus & quo pacto sit, percalluerimus. Indéque scire etiam quid sit uirtus, est operæprecium. neque enim ex quibus, & ut sit uirtus, est perspectu facile, non agnoscenti primùm quid ipsa sit: quemadmodum neque in scientijs. Porro ne latére quidem nos oportet siqui antea hisce de rebus differere aggressi sunt. Primus itaque Pythagoras adnisus est de uirtute dicere: cæterùm minus recte. Nanque is uirtutes ad numeros adducens, non admodum cõsentaneam propriámque uirtutum fecit inspectionem. etenim non est iustitia, numerus pariter par. Succedens huic Socrates, iisdem de rebus & melius & pluribus disseruit: sed ne ipse quidem recte. Siquidem uirtutes scientias esse fatebatur: at uero hoc esse nullatenus potest. Nam quæque ad unam scientiæ, cum ratione ac discursu: ratio autem in solo animæ gignitur intellectu. Quare ex illis emergit, singulas uirtutes in parte animæ rationali fieri: adeóque euenit, ut qui uirtutes scientias astruit esse, idem quoque partem animæ subruat irrationalem. Hanc uerò qui adimit, affectum iuxtà ac morem adimat necesse est. proinde hactenus parum feliciter uirtutes ipsas attigit. Posterior Plato animam in eam scilicet partem quæ rationẽ haberet, & eam quæ foret rationis expers, probè partitus est, necnon congruas suásque cuique uirtutes reddidit. Eousque igitur probè: cæterùm quæ deinceps, non recte. Nam uirtutem haudquaquam consentaneè illi admiscuit, quæ de ipso bono pertractationi: quandoquidem neque est hoc impendio proprium ac peculiare: neque item cum de ijs quæ sunt, ac ipso uero dissereret, tum de uirtute congruebat dicere: quippe quòd nihil huic cum illo intercedit commune. Tanta igitur illi, eáque hoc attigerunt modo. Sequitur, ut quidnam

nam

nam de hisce dicendum sit, deinceps coniectemus. Primùm ergo intueri opus est, suum cuique sciẽtiæ ac facultati esse finem, eúmque bonum: præsertim cum ne una quidem aut sciẽtia aut facultas, quæ ob malum sit. Quòd si omnium facultatum bonus est finis, apertum est & optimæ facultatis præstantiorem esse finem. Atqui ciuilis, optima sane facultas est: quare ipsius utique finis, bonus. Atque adeò de bono (ut est uidere) dicendum nobis est, & de bono non quidem simpliciter & comprehensim, at nobis bono. Neque enim de deorum bono hic agendum: cæterùm illius absoluta perfectáque est ratio, & aliena consideratio. De ciuili proinde bono pertractandum nobis est.

Rursus autem & hoc dirimere conuenit, discutiendúmque quo tandem pacto sumitur bonum quo de hoc loco agẽdum est. neque enim simplex est, unóque dictum modo. Nanque appellatione boni partim adstringitur quod in singulo entiũ genere est optimũ: (id porro est, quod suapte natura deligibile) partim uero illud, cuius participatione habent reliqua ut sint bona: quod nimirum idea formáque boni est. Estne igitur de boni idea disserendum, an secus, sed de eo agendum bono, quod ceu commune quodpiam in singulis est? discretum nanque ab idea apparet hoc esse: quandoquidem idea, separatile bonum, idémque per se est. At uero quod expansum communéque est, cunctis connectitur ac inexistit: neque porro ipsi cohæret separatili, idémque est. Neque enim quod abiunctum, quódque suopte ingenio per se ac seorsum est, cunctis quandoque inseritur. Vtrúmne ergo de hoc nobis pertractandum fuerit bono, quod in cunctis est, an non? quid ita? nimirum quòd est hoc cõmune, perinde ac definitio, inductióque. Nanque definitio, cuiusque exprimat substantiam necesse est: siue quia bonum, siue quia

malum, siue quia quiduis aliud fuerit. Refert quippe definitio, bonum generatim & in uniuersum id esse, quod etiam per se suáque ipsius natura expetibile sit. Quod autem in cunctis insertum est, planè huic definitioni assimile. Cæterùm definitio exprimit, quia bonum: atqui nulla scientia nulláque facultas de suo ipsius indicat fine quia bonum: sed ea ipsa inspectio alteri facultati delegata est. Neque enim medicus, quia bonum est sanitas: neque ædificator, quoniam bonum est domus, refert: sed ille quidem, quodcunque efficit sanitatem, atque quo pacto: hic uerò quicquid ad domus confectionem attinet. Palam itaque est, ne esse quidem in re ciuilis facultatis, de communi bono disserere: nam ipsa quoque, reliquarum scientiarum una est. At uerò hoc, scilicet quòd bonum, ut de fine dicere: ne ullius quidem facultatis aut scientiæ intererit. Non dubium igitur, quin ne ciuili quidem congruat facultati, de communi bono pertractare, eo scilicet quod per definitionem. Sed neque de eo quod per inductionem commune est. quam ob rem? nempe quòd cum particularium quodpiam bonorum suscipimus monstrandum, aut id definitione aggredimur: (quòd uidelicet una eadémque ratio aptatur & congruit huic quidem bono, & illi, siquando uoluerimus demonstrare quoniam bonum) aut inductione: perinde ac cum mõstrare satagimus, magnanimitatem bonum esse, sic dicimus: nimirum iustitia bonum est, fortitudo item bonum, & postremò uirtutes omnino bonæ: atqui magnanimitas, & ipsa quoque uirtus est: proinde magnanimitas, bonum. Non igitur de communi bono per inductionem, ciuili facultati dicendum est: quòd eadem hoc assectentur absurda & impossibilia, atque commune illud bonum quod per definitionem est. nam & hinc quo-

que

que dicet, quoniam bonum. Constat itaque de optimo bono pertractandum esse, & eò quidem optimo, quod idem quoque nobis optimum sit. Omnino autem exploratum cuique esse potest, non unius porrò esse scientiæ aut facultatis, de omni bono perscrutari: quid ita? nimirum quòd bonum per omnia crebrescit prædicamenta. nam in eo quod quid, ac substantia, in quali, in quanto, quando, ad aliquid, & prorsus cunctis inexistit prædicamentis. Cæterùm quando, in medicina quidem nouit medicus, in gubernatoria gubernator, & demum in singulis singuli. quando nempe secandum est, nouit medicus: quando uerò deducenda nauis, nauclerus: quod porrò in singulis, quando bonum, quisque per se peculiaritérque agnouerit. Neque enim quod in gubernatoria bonum, quando bonum, exploratum est medico: neque amplius gubernatori, quod in medicina. Ne ad hunc igitur modum, de communi agendum bono: quippe quòd ipsum quando, ad omnia protenditur, in cunctísque commune est. Aequè quoque quod ad aliquid bonum, necnon quod in alijs cernitur prædicamentis, commune porrò omnibus est. Atqui nullius prorsus est facultatis aut scientiæ, de eo quod in qualibet, quando scilicet bonum, dicere. Non dubium itaque, quin ne ipsius etiam sit ciuilis facultatis, de cõmuni bono pertractare. Adeóque de bono agendum, non quidem omni, sed optimo, ac de nobis quoque optimo. Verùm operæprecium est fortasse, inmanifestis non uti cum exemplis, qui quippiam satagit demonstrare: sed contrà in expromendis ijs quæ obscura sunt, utendum ipsi est apertis: ac in ijs quæ sub intelligentiam cadunt, sensilibus. nempe hæc tam manifesta, quantum quæ maximé. Quare cum de bono dicere

contenderit quiſpiam: ut de idea dicat, nihil opus eſt. Cæterùm *arbitrantur tum quoque de idea pertractandum, cum de bono agunt.* Nempe *aiunt, de maximè bono tum eſſe differendum: ipſum porrò quodque præcipuè eſſe tale, ut maximè bonum ipſa ſit idea: quemadmodum putant.* Huiuſmodi *nimirum ratio, uera quidem fortaſſe eſt: uerùm neutiquam ciuilis ſcientia, aut facultas qua de præſens ſuſcipitur ſermo, de hoc per ſe bono, ſed de nobis bono, coniectat.* Nanque *ne ulla quidem eſt ſcientia aut facultas quæ de ſuo indicet fine quia bonum: quare ne ipſa quoque ciuilis facultas: adeóque haudquaquam de eo diſſerit bono, quod ſecundum ideam, ac idea boni eſt.* Sed *enim ait fortaſſis,* Hoc *per ſe bono, uice principij uſus, de ſingulis bonis inde progreſſus dicam.* At *neque ſic rectè. nam aptè ordiendum, propriáque ſumenda ſunt principia.* Abſurdum *ſiquidem fuerit, cum uelit quiſpiam demonſtrare, triangulum duobus rectis æquos habere angulos, hóc uice principij ſumere, nempe animam eſſe immortalem: quandoquidem neque eſt hoc proprium.* Principium *autem proprium ſit, eíque rei qua de agitur, cõiunctum, eſt operæprecium.* Nunc *uerò abſque eo quòd ſit immortalis anima, demonſtrauerit quiſpiam duobus rectis æquos angulos habere triangulum.* Aequè *quoque in bonis alia diſcuti exploraríque poſſunt citra formale bonum, ideámque boni: eóque ne conſentaneum quidem, quod eſt huiuſce boni principium.* Sub *hac, ne ipſe quoque* Socrates *rectè uirtutes arbitrabatur eſſe ſcientias.* Nanque *is incaſſum temeréque fieri nihil oportere opinabatur.* Ex *eo porrò quòd eſt uirtutes fateri ſcientias: accidebat ipſi, uirtutes fruſtra eſſe. quamobrem?* Reuera *quòd contingit in ſcientijs pariter noſſe ſcientiam quid ſit, & ſcientem eſſe.* Nanque *ſi quis cognouerit*

rit quidnam sit medicina, is euestigio medicus est. idemq; in alijs scientijs. At in uirtutibus minime hoc emergit. neque enim si norit quispiam iustitiam quidnam sit, confestim is iustus est. idémque in alijs cernere est. Euenit igitur frustra uirtutes esse, neque esse scientias.

Quot modis distribuitur bonum. Cap. II.

HIsce definitis, dicere subinde elaboremus, bonum quot dicatur modis. Sunt nempe bonorum alia honorabilia, alia laudabilia, potentiarum alia. Porrò honorabile appellito, quod huiusmodi fuerit, nimirum quod diuinum, quod melius (ut anima, mens) quod antiquius, quod principium, itémque hoc genus alia. Siquidem honorabilia, quibus honor annexus est. at uero huius generis singula assectatur honor indiuiduus comes. Est igitur & ipsa quoque uirtus, honorabile bonum. nam ubi ad ipsa factus studiosus euaserit quispiam, tum etiam uirtutis induisse habitum, certum est. Sed enim laudabilia, ut uirtutes: quippe quòd à suis ipsarum actionibus exoritur laus. Quæ porrò potentiarum, ut principatus, diuitiæ, robur, pulchritudo. Hisce nanque bonus bene, iuxtà ac malus perperam, uti potuerit: eáque ex re id genus bona, potentiæ cēsentur, ac sunt reuera bona. nam quodque horum, bono usu, non etiam malo comprobatur. Habent nimirum & ea ipsa bona sui ortus causam, fortunam ipsam. nempe à fortuna corrogantur diuitiæ, principatus, & quæcunque prorsus in bonorum potentiæ ordinem ac numerum rediguntur. Demum reliquum ac quartum inter bona, est salubre, ipsúmque effectiuum boni: cuius generis est exercitatio sanitatis, & siquid est aliud eiusmodi. Verùm aliam deinde

subeunt bona partitionem. Nam bonorum hæc quidem sunt cuique ac omnino expetibilia, illa uerò minime. Siquidem iustitia, necnon reliquæ uirtutes, cuique sunt, ac prorsus deligibiles. at uerò robur, opulentia, potentiaque, ac eiusce generis bonis affinitate iuncta, neque cuiq;, neque omnifariam. Amplius quoque aliter. Nimirum bona partim sunt fines, partim secus: ut exempli causa, sanitas finis est: quæ uerò sanitatem instaurãt, ob ipsamque sunt, nequaquam fines. Atque in ijs quæcunque sese ad hunc habent modum, semper est finis præstantior: ut sanitas ipsis præstat salubribus. Absolutéq; ac in uniuersum melius semper hoc ipsum est, cuius gratia sunt & alia.

Ad hæc, inter fines, is qui perfectus est, semper præcellit imperfectũ. Perfectus porrò is est, quo admoto, nullo amplius nobis opus est. Imperfectus contrà, quo aßidente nõnihil quo indigeamus, abest nobis: ut cum sola adest iustitia, tum profectò est nobis opus pluribus. contrà cum felicitas: certè deest tum nihil quod desideremus. Proinde finis perfectus est eiusmodi optimum nobis, quod exquirimus. Perfectus nimirum finis, bonum est: necnon finis, bonum. Deinceps ergo, quomodo optimum, peruestigemus necesse est. An ne eo modo, ut ipsum quoque connumeretur? Sed absurdum. nam optimum eam ob rem, quòd finis, perfectum. Perfectus autem finis (ut sit simpliciter dicere) nihil profectò aliud quàm felicitas apparet esse. Porrò felicitatem ex pluribus bonis compingimus. Itaque si scrutatus optimum, id quoque alijs annexueris: ipsum se melius esse constabit. ipsum nempe, optimum erit: ut salubribus & sanitate constitutis, si consideret quispiam quod est horum omnium optimum (planè optimum fuerit sanitas, siquidem est horum omnium quodpiam optimum) accidet tum idem

idem se quoque melius esse: quod est planè absurdum. Non ad hunc itaque modum est fortasse coniectandum optimum; sed ita sanè, ut sine ipso, illisque eximatur ipsum. An & id etiam absonum? Nam felicitas ex quibusdam bonis euadit constituta. Absurdum porrò est scrutari, si, quod ex alijs bonis constat, ijs praestet omnibus ex quibus compingitur. Non enim est aliud quippiam ab his felicitas, uerùm ea ipsa, ex quibus consurgit. At uerò qui optimum confert, ac ex collatione peruestigat: sic sanè quadam ex parte probè considerauerit, uti qui felicitatem ex hisce conflatam bonis, ad alia confert: utpote ad ea quae sui non sunt aedificij, sibique non inexistunt. Sic profectò scrutatus optimum, rectè dispexerit. Sedenim non est simplex, absolutique nomen subiens, quod tum disquiritur optimum: ut prudentia cunctis ijs praecellere bonis, quae in unum sunt collecta concretaque, dici cuiquam potuerit. Verùm non ita fortasse sese ingerit optimum coniectandum. Siquidem absolutum perfectumque uestigamus bonum: atqui prudentia, cum per se solaque est, neutiquam perfecta. Non igitur hoc est quod quaerimus optimum: neque quod ita est optimum, exploramus.

Alia bonorum diuisio. Cap. III.

DEinceps aliam habent ipsa quoque bona partitionem. Nam bonorum alia sunt in anima, ut uirtutes: alia in corpore, ut sanitas, pulchritudo. nec desunt alia quae forinsecus sunt, quemadmodum diuitiae, principatus, honor, & quodcunq; generis affinitate his coniungitur. Sedenim horum optima sanè, quae animae inexistunt. Quae porrò animae insunt bona, trifariam dissecta sunt,

nimirum in prudentiam, uirtutem, & uoluptatem: quibus profecto iam subnectitur felicitas, quæ cunctis habetur iuxtáque apparet esse cum finis bonorum, tum quoque perfectißimum ac absolutißimum: atque hoc perinde esse opinamur, ac bene agere, & bene uiuere. Cæterùm non simplex undque est finis ratio, sed duplex. Vno nanque modo finis, ipsa est actio ac usus: quo in genere est functio uisus: atque est nimirum usus, deligibilior habitu: quippe quòd habitus finis, est functio. Nemo nanque appetierit uisum habere, futurus inde non quidem ad spectandum, sed ad nictandum aptus. Idem quoque in auditu & in reliquis uisitur. Quorum ergo est & usus & habitus, optatior semper expetendúsque magis est usus, quàm habitus. nam usus, ipsáque functio, finis: cum sit ob usum ipse habitus. Deinde uerò si quis & hoc in singulis artibus considerauerit, perpendet effectricem domus, ab ea non quidem discretam esse, quæ probæ quoque domus effectrix sit: at duntaxat huic sese ingerent sumenda, nimirum ædificatoria, & id cuius est effectiuus ædificator. Huius porrò uirtus, est eiusdem cum eo effectrix. Cõsimiliter & in alijs omnibus idem usu uenire conspicitur.

Felicitatem in actione uirtutis consistere. Caput IIII.

PRæterea uidemus alia re nulla prꝏterquam anima, nos uiuere. In anima autem inest uirtus. Idem porrò dicimus facere animam, quod animæ uirtutem. Verũ cum uirtus in singulo quoque id operetur, cuius est uirtus: ipsa tamen anima ad alia protenditur. Atqui anima uiuimus: igitur per animæ uirtutem

tem probè uiuemus. Sedenim probè uiuere, probéque agere, aliud nihil quàm felicem esse dicimus. Constat ergo felicem esse, necnon felicitatem in eo consistere, quod est bene uiuere.

Cæterùm bene uiuere, in ea situm est uita, quæ per uirtutes. Viuere igitur per uirtutes, finis, & felicitas, ac optimum: adeóque in usu quopiam ac actione sit finis, ipsáque felicitas, necessum est. Nanque quorum habitus, usúsque est: usus ac operatio, finis. Atqui animæ habitus, uirtus est: suarum autem ipsius uirtutum, est actio atque usus: quare finis, animæ utique actio usúsq; fuerit: proindéque in eo quod est per uirtutes uiuere, consistat felicitas, opus est. Postquam igitur felicitas optimum est bonum, ipsáque finis: eam profectò uiuētes uitam, quæ in uirtutū actione sita est, tum demum felices euademus, ídque assequemur quod est optimum. Quoniam ergo felicitas bonum est perfectum, ac finis, latêre ne id quidem oportet quempiam, perfecto, adultæq; ætatis homini competere. neque enim puero, quódue ipse sanè puer felix habeatur, cōuenit: sed uiro, quippe qui sic, eáque in ætate perfectus est. In tempore quoque id fieri accidit, non quidem imperfecto, sed perfecto. Perfectum porrò huiusmodi fuerit tempus, per quod hominis absoluitur uitá. Probè nanque dicunt complures, felicem in longissimo uitæ tempore censendum esse. tanquam nimirum oporteat perfectum esse in perfecto & tēpore & homine. Cæterùm actionem esse, ex his etiam quis perpenderit. Nam in somnis, utpote si dormierit quispiam per uitam, talem non admodum uelim dicere felicem esse: quippe quòd cum hunc contingat uiuere, certè eidem ea non competit uita quæ per uirtutes est, quæ nimirum dicta est in actione consistere. Sub hæc, quod deinceps dicendum: neque hoc uitæ genus impendiò ap-

pareat huic proprium, peculiaréq;: sed neque admodum semotum: quippe quòd quædam sit (ut uidetur) animæ portio qua nutrimur, quam nutritiuam appellitamus. Huiusmodi nempe *quampiam esse partem, pár, consentaneúmque est rationi.* Siquidem *cum sint lapides, haud ali posse intuemur: proindéque apertum est, ali, animatorum esse. quòd si animatorum: causa utique fuerit anima. At uero ne ulla quidem talium animæ partium, cuiusmodi sunt, rationalis, irascibilis, concupiscibilis, alendi causa esse potest: cæterùm alia quædam ab his animæ portio, cui nullum accommodatius nomen quàm altricis deferre possumus. Quid itaque? dixerit quispiam, éstne huius quoque animæ partis uirtus? Si enim est: non dubium quin etiã eatenus agere opus sit. perfectæ nempe uirtutis actio, felicitas est. Sed enim si est huius uirtus, an secus, alius fuerit sermo. At uero si est, ne ulla sanè est eiusce actio. Quorum nanque ne ullus quidem impulsus, neque actio talium erit. Atqui in hac animæ parte nullus impulsus esse uidetur: uerum igni propemodum assimilis uisitur.* Nanque is, *quodcunque submiseris, absumet. sed si nihil suggeras: ne tum ad capiendum quidem ulla ducitur appetitione.* Idem *quoque in hac animæ parte accidit. nam cum suggeris alimentum, nutrit: sin minus, ne tum sanè ad alendum instigatur. quare nulla eiusce est actio, ut cuius ne ulla quidem sit appetitio. Quocirca ea ipsa portio animæ ad felicitatem capessendam nihil cõfert. Postquam igitur uirtutis actio felicitas est: dicendum nobis deinceps fuerit, quid sit uirtus.* Vt *ergo simpliciter dicam, uirtus habitus est optimus.* Verùm *fortasse non sufficit ita generatim dicere: sed magis perspicue definienda res est.*

Animæ

Animæ in suas partes distributio. Cap. V.

PRincipiò itaque de anima, in qua suboritur uirtus, dicamus opus est: non quidem quid sit (hæc enim de re alia pertractatio) sed quomodo, ueluti per figuram, partienda sit. Porrò anima (uti diximus) in duas deducta est partes: in eam scilicet quæ rationis particeps est: & in eam quæ rationis est expers. In ea parte quæ habet rationem, fiunt, prudentia, sagacitas, sapientia, docilitas, memoria, & id genus reliqua. In parte uerò rationis experte, ij habitus qui uirtutes nuncupantur, nimirum temperantia, iustitia, fortitudo, & quæuis aliæ, quas ex moribus commendationes subire apparet. Per hasce nanque promereri laudē dicimur: at per illas quæ partis sunt ratione præditæ, contrà nemo laudatur. nec enim quòd sapiens, nec quòd prudēs, nec omnino ob eius generis quippiam laudādus aliquis occurrit. Neque profectò huiusmodi animæ portio est rationis expers, quo subministratoria, eiq; morem gerit parti quæ habet rationem. Virtus autem moralis, ab excessu defectúque corrumpitur. Porrò exuperationem iuxtà ac defectionem corrumpere, ex Ethicis, ac ijs quæ ad mores spectant, fit fides. Oportet uerò pro rebus obscuris clara exempla inducere. Huic nimirum rei; prompto sunt exercitia argumento: quæ si pluritate exundauerint, aut sua contrà paucitate in aliud reciderint extremum: tum sanè uires infirmant, penéque exterminant. Haud absimile in potu cibóque cernitur, quippe quòd horum etiam tam exuperatio quàm defectio officit, ipsámque adimit sanitatem: cæterū hisce ad mensuram redactis, seruatur utrūque, robur scilicet, & sanitas. Perinde uerò in tēperantia, fortitudine, aliisque morum uirtutibus euenit. Nam si quempiam

impẽdiò feceris interritum, adeóque ut deos quoque ipsos non subuereatur: non iste profectò fortis, sed insanus demẽsque fuerit. Sin hunc subierit terrorẽ, ita ut cuncta extimescat: contrà timidus, ac meticulosus. Proindéque fortis fuerit, qui neutro insidet subsellio, ut scilicet uel omnia pertimescat, uel nihil. Quare ea ipsa sunt uirtuti augmento, itémque interitui. Nanque timores plus satis exundantes, quíque cunctarum sunt rerum, necnon qui sua scilicet defectione nulla ex re commouent, corrumpunt. Atqui fortitudo circa timores uersatur. Timores igitur ad mensurã adducti, moderatíque, uirtuti sunt augmento. Atque adeò constat hoc genus metus, fortitudinem tam locupletare, quàm labefacere. Siquidem hoc ipsum operãtur metus: sua utpote exuperatione, defectione, & mediocritate. Eodem quoque modo afficiuntur & reliquæ uirtutes.

Circa uoluptates ac dolores uirtutem uersari. *Caput.* VI.

SVb hæc non hisce modò definienda cuipiam succurrit uirtus: uerumetiam dolore & uoluptate. Ob uoluptatem enim res improbas agimus, ob dolorem uerò res posthabemus honestas. Omninóque citra molestiam & uoluptatem non contingit sumere uirtutem aut uitium. Est igitur uirtus circa uoluptates ac dolores. *Cæterùm uirtutis moralis inde surrogata est cognominatio (si modò opus est adusque literatorium elementum differendo, perscrutari ueritatem, opus est autem fortasse) quòd porrò* ἦθος ἀπὸ τοῦ ἔθους*, hoc est, mos à mora suam sortitus est appellationem. Et quidẽ moralis, ex ea quæ per moram fit assuefactione, nuncupatur.* *Adeóque ex his palam fit, natura no-*

bis ne ullam quidem earum uirtutum innasci, quæ partis irrationalis sunt. Nihil enim eorum quæ natura sunt, aliter assuescit: ut lapis, grauiáque omnia, quorum natura est ut deorsum ferantur, nunquam attollentur sursum, sed semper decident, etiamsi quispiam sursum impellendo frequẽtius, assuefacere adlaboret. Consimiliter in id genus aliis.

De iis quæ in anima consistunt. Cap. VII.

DEinceps itaque quænam sint ea quæ in anima fiunt, operæprecium est nosse eos qui exprimere satagunt quid utique sit uirtus. Quæ porrò in anima procreantur, sunt affectus, potentiæ, habitus: quorum quodpiam uirtutem esse, proinde exploratum euadit. Affectus quidem sunt, ira, metus, odium, desiderium, æmulatio, misericordia, & id genus reliqua quæ uoluptas ac dolor assectari consueuit: Potẽtiæ uerò, per quas ad hos affectus suscipiẽdos idonei dicimur esse, ueluti per quas irasci possumus, dolere, misereri, aut quippiã huiusmodi. Habitus porrò ij sunt, quibus bene maléue nos ad affectus ipsos habemus, ueluti ad irascendum. Nam si plus satis iracũdè, ad iram male habemus. Ita quoq; perperam ad ipsam habemus, si omnino non in iis ira concitamur, in quibus opus est. Mediocriter porrò habet, quod neque supra modum ducitur ira, neque prorsus est stupidum. Cum igitur ad hunc habemus modum, probè affecti dicimur. Eadem quoque est ratio in cunctis aliis generis eiusdem. Laudabilis itaque subirascentia, ipsáque mansuetudo, in mediocritate iræ, & eius quæ circa iram consistit, stupiditatis. Persimiléque accidit circa arrogantiam. Nam plura sibi quàm quæ insunt, uendicare, arrogantiæ est: pauciora uerò, contrà dissi-

mulationis. Horum igitur mediocritas eſt ueritas.

De habitu, & quando bonus cenſetur, aut malus.
Caput VIII.

IDem quoque in cunctis aliis. nam bene maléue circa huiuſmodi habere, hoc ipſius eſt habitus. Probè quidem in hiſce habere, idem porrò eſt quod neque ad exuperationem neque ad defectionem deflectere. Quare cuius eſt hoc, probè ſcilicet habere, habitus, eorum eſt mediocritas, per quæ laudandi uenimus. Cuius uerò eſt perperam habere: contrà exceſſus ac defectus.

Poſtquam igitur horum affectuum uirtus eſt medium, affectus uerò ſunt dolores ac uoluptates, aut non citra dolorem ac uoluptatem: non dubium proinde eſt, quin ipſa quoque uirtus circa dolores & uoluptates uerſetur. Sunt porrò alij etiam affectus, quorum malitia cuiquam haudquaquã uideatur in exceſſu defectúque quopiam conſiſtere: ueluti adulterium. atque adulteriõ is eſt, qui magis ingenuas corrupit: uerùm hoc, & quodcunque demum id genus aliud ambitu illius uoluptatis concluſum eſt quæ per intemperantiam, ſub eam utique cadit uituperationem, quæ in exuperatione defectionéque eſt.

Vtrum duorum extremorum medio magis opponatur.
Caput IX.

POſtea uerò dicendum fuerit fortaſſe, quidnam medio aduerſetur, exceſſusne, an defectus. Nã quibuſdam medietatibus defectus, quibuſdã exceſſus opponi uidetur: ueluti fortitudini non ipſa quidem audacia, quæ eſt exuperatio: ſed timiditas, quæ eſt defectio

fectio. temperantiæ uerò (quæ intemperantiæ & circa uoluptates insensiblitatis mediocritas est) contrà non ipsa insensibilitas, quæ quidem est defectio, sed intemperantia, quæ est exuperatio, aduersari uidetur. Veruntamen est ipsi medio utrunque contrarium: excessus scilicet, & defectus. Nam medius habitus exuperatione quidē inferior est, ac respectu eius deficit: defectione autem cōtrà superior, eiúsque respectu exuperat. Eóque aiunt prodigi, liberales, esse illiberales: contrà illiberales, eosdem putant prodigos esse. iuxtáque audaces ac temerarij, fortes appellant timidos: timidi contrà, fortes nomināt temerarios & insanos. At uerò duas ob causas apparet cum excessus tum defectus ipsi aduersari medio; Primùm e re ipsa expendentibus nobis, utrum extremorum propius longiúsque à medio absit: uerbi causa à liberalitate utra magis elongetur; prodigalitásne, an illiberalitas. Impensius utique ad liberalitatem accedere uidebitur prodigalitas, quàm illiberalitas: atque adeò ab liberalitate seiunctior auaritia. Porrò quæ à medio absunt amplius, eidem impensius opponi palam est. E re proinde ipsa defectio magis opponi perpenditur. Contingit aliter quoque, ueluti ea medio magis contraria uideri, ad quæ nosipsi natura sumus propensiores: ut natura sumus procliuiores ad ea quorum est intemperantia, quàm ad quæ est honestas. Incrementum porrò magis in iis fit, ad quæ proniores nati sumus. Atqui impensius ea aduersantur medio, ad quæ maius fit additamentum. plenius quoque ad intemperantiam adiicimus, quàm ad honestatē. magis ergo exuperatio medio euadit contraria: quippe quòd intēperantia sit temperantiæ excessus.

Quid itaque sit uirtus, inde considerandū est. Affectuū nāq; quædā uidetur esse mediocritas. Proinde qui futurus est cōpro

batis moribus: quanq; affectuum mediocritatẽ conseruet, opus est. Quapropter dubium non est, quin studiosum esse, arduum sanè ac operosum sit. Est enim difficile, in quaq; re medium capere: ut circulum quidem describere, cuiusque est: at uerò suum ipsius capere medium, arduum. Haud absimili ratione, irasci quidẽ, necnon in id decumbere quod est huic cõtrarium, promptum facileque est: caeterùm medium obseruare, non est obuium. Omnino autem accidit in singulis affectibus intueri, id peruium, faciléque esse, quod medium ambiat: medium uerò per quod laudemur, difficile: eóque probum esse perrarum est.

Quandoquidem de uirtute dictum nobis est, deinceps perscrutandũ fuerit, queátne illa in nobis aggigni, an nõ, sed (quod arbitratus est Socrates) haudquaquam in nobis situm sit ut probi malíue efficiamur. Si enim roget quis quempiam, uelítne iustus esse, an iniustus: nemo sanè se iniustitiam dixerit uelle. Idem de fortitudine & timiditate: ac omnino in reliquis uirtutibus consimilis modus est. Palam igitur est, si mali sint aliqui, neque eos sua spõte malos fuisse: proindéque dubium non est quin ne quidem probi. Verùm hæc ratio neutiquam uera est. Quamobrem enim legislator improba agere non sinit, sed contrà honesta & proba iubet? Adhuc autem in improbis rebus ei quoque præscribit mulctam, qui patrarit: in honestis uerò, ei qui posthabuerit? Absurdum porro fuerit, hæc sancire legumlatores, quæ in nobis, ut peragantur, haudquaquam sita sunt: at uero (uti uidetur) in nobis est ut probi malique simus. Adhuc autem laudes & uituperationes quæ inde exoriuntur, eidem quoque rei sunt argumento. Siquidem uirtutem laus ipsa consequitur, uitium uero uituperatio. Atqui laus & uituperium in solis spontaneis locum habent. Proindéque dubium

non

non est, quin etiam in nobis sit collocatum, proba iuxtà ac improba agere. Cæterùm hoc ipsum haudquaquam ultroneum esse, demonstrare contēdentes, hac utebantur similitudine. quid nanque est (aiunt) cur cum ægrotamus, turpésque ipsi sumus: nullus nos, quòd tales, uituperat? At uerò neq; hoc uerum est. Tales nanque tum probro afficimus, cum eos suæ ægritudinis, quódque male habet quod in eis est corpus, fuisse causas arbitramur, tāquam sit hoc inde quoque spontaneum. Decet nimirum tam in uirtute quàm in uitio spontaneum esse.

Qualia sunt principia, talia esse quæ ex iis gignuntur. Caput X.

Cæterùm hoc rursum magis perspicue ex hisce conspexerit quispiam. Omnis nanque natura eiusce est essentiæ procreatrix, qualis ipsa fuerit. quod quidem in plantis & animalibus conspicuum fit. nam utraque ad gignendum, & quidem ex principiis, idonea: ut arbor ex semine: quod utique principium quoddam est. Porrò quod principia consequitur, ad hunc habet modum. ut enim habuerint principia, perinde quoque habebunt ea quæ de principiis ortum ducunt. Conspicuum autem impensius hoc fit in iis quæ geometriæ sunt. Inibi nanque quòd quædam præsumantur principia, certè ut ea habuerint, ita quoque quæ ipsa assectantur: ut si triangulus duobus rectis æquos habuerit angulos, quadrangulus quoque quatuor rectis æquos habeat necesse est. quòd si permutetur, secúsque habeat triangulus, ita quoque commutabitur ipse quadrangulus. Commeat enim ac recurrit: atque si non obtinuerit quadrangulus quatuor rectis æquales angulos, ne ipse quidem triangulus duo-

bus rectis æquales habiturus est.

In nobis situm esse quòd boni simus aut mali. Caput XI.

Aud secus igitur, modóque consimili in homine accidit. Nam cum ad progignendam essentiam ex quibusdam principiis, sit homo natura idoneus: quarundam quoque actionũ quas facit, idem progenitor sit, necesse est. quid enim aliud? Neque enim quodpiam inanime dicimus agere, neque item animatorum (uno homine excepto) ullum. Non dubium igitur est quin actionum sit homo productiuus. Postquam itaque uidemus actiones permutari, nec unquam eadem agimus, sintque actiones ex aliquibus progenitæ principiis: palam est, quoniam immutantur actiones, ipsa quoq; immutari principia ex quibus sunt: quemadmodũ antea conferentes ipsi, aßimilatoriáque innitentes ratione, in iis quæ sunt geometriæ indicauimus. At uerò actionis studiosæ simul ac prauæ principium, electio est ac uoluntas, & quicquid denique secundum rationem est. Cõstat itaque & hæc etiam immutari. Spõtè porrò actiones trãsmutamus. quare dubium non est quin ipsum quoque principium ac electio ita transmutentur, nempe uoluntarie. Quocirca ex his apertum est, in nobis locatum esse ut boni malique simus. Sedenim diceret fortasse aliquis, quandoquidem in mea situm est facultate, ut iustus probúsque efficiar: erò itaque, si uoluero, omnium probißimus. Porrò id fieri nõ potest. quid ita? nimirum quòd neque hoc ipsum in corpore fieri accidit. Neque enim si uelit aliquis sui corporis curam gerere, sanè omnino optimum habebit corpus: quippe quòd non solam adesse curam oportuit,

tuit,

tuit, uerùm etiam corpus natura nasci pulchrũ & bonũ. præstantius itaque iscc habebit corpus, at non omnium optimum. Haud secus in anima quoq; sumere oportet. neque enim qui omnium probissimus fieri deligit, erit proinde optimus, nisi natura quoque ipsa adfuerit: cæterùm melior euadet utique.

Quæ ex cupiditate fiunt, nostra sponte peragi. Caput XII.

Postquam igitur exploratum iam est, in nobis esse, probum esse: de spontaneo quidnam id sit quod sua sponte quis fac.t, deinceps dicamus, est precium operæ. Nanque spontaneum, idipsum est, quod est uirtuti quammaxime proprium. Spontaneum porrò simpliciter cõprehensimque definiendũ hoc pacto est: nimirũ quod non coacti agimus. Verùm hac de re apertius fortasse dicendum fuerit. Est itaque ad id quod agimus, quidam appetitus. Atqui appetitus in tres species dissectus est, nempe in concupiscentiam, iram, & uoluntatem. In primis ergo spectanda est ea actio quæ per cupiditatem fit, sítne eorum quæ sua sponte quis facit, an eorum contrà quæ inuitus. Eorum porrò esse quæ inuitè fiunt, non utique uideri debet. quid causæ est, & undénam id? Nempe quòd singula coacti agimus, quæ à nobis haud spõte fiunt. Atqui ea quæ ex necessitate peraguntur, omnino consequitur dolor. quæ uerò per concupiscentiam fiunt, uoluptas assectatur comes. Quare hac sanè ratione, quæ ex cupiditate peraguntur, non inuite quidem, sed sponte fieri dicenda sunt. Veruntamen alia quædam huic aduersatur ratio, quæ ex incontinentia suboritur. Nemo enim (inquit) mala facit sua sponte, sciens quidem esse mala. At ue-

rò incontinēs scit ac iudicat quæ agit, esse mala. agit autem, & quidem cupiditate illectus. non igitur sua sponte, atque adeo inuitus agit. Hic rursum eadem quoque contrà occurret ratio. Nam si per concupiscentiam, non ex necessitate: quandoquidem cupiditatem uoluptas assectatur comes. atqui quæ per uoluptatem, ex necessitate neutiquā fiunt. Sed aliter hoc quoque dilucidari potest, nimirum incontinētem sua sponte agere. Nam qui iniuria afficiūt, ultro iniuriam irrogant. At uero incontinentes, iniusti sunt, ac iniuria afficiunt. Quare sua utique sponte ea fecerit incontinens, quæ per incontinentiam agit.

Quæ per iram ac uoluntatem fiunt, nostra etiam sponte fieri. Cap. XIII.

CAE*terum alia iterum opponitur ratio, indicans scilicet neque id quod per cupiditatem fit, spōtaneum esse. Nam continens ea ultro agit, quæ per continētiā. laudatur enim. atqui laus in solis ultroneis locum habet. Quòd si spōtaneum id est quod per cupiditatem peragitur: contrà inuitum fuerit, quod præter cupiditatem. Porrò continēs præter cupiditatem agit. quare continens haudquaquā sua sponte fuerit continēs. Sed hoc postremū neutiquam uerū esse apparet. nō itaq; quod ex cupiditate peragitur, ultroneum est. Rursus in iis quæ per iram fiunt, idem accidit. hisce nanque ea quoque aptantur & congruunt rationes, quæ de iis quidem quæ per cupiditatem, textæ sunt. quocirca ea ipsa etiam scrupum dubitationémque inuehunt. siquidem accidit utrunque, & temperatæ iræ esse, & impotentis.*

Superest adhuc è numero appetituum quos superius in tres species contraximus, uolūtas spectanda, nēpe ut consideremus

sitne

sit ne spontanea. Cæterum incontinentes ea tandem uolunt, ad quæ impelluntur: adeoque agunt incontinentes mala, uolẽtes. Porrò sua sponte ne unus quidem mala agit, ubi scit esse mala. atqui incontinens sciens quæ agit, esse mala, tamen uolẽs agit. non ergo spontaneus. atque adeo ne ipsa quidem uoluntas spõtanea est. Verum hæc ratio incontinentiam simul & incontinentem perimit. Nam si sua non operatur sponte, uituperationi non subiacet. atqui incontinens uituperabilis est: spontaneus ergo. proindeque uoluntas spontanea est. Postquam igitur nõnullæ rationes inuicem aduersari uidentur: euidentius de spõtaneo disserendum est.

De ui, & necessitate. Cap. XIIII.

Prius itaq; de ui ac necessitate dicatur opus est. Vis porrò in ipsis etiam inanimis cernitur. nam suus cuiq; inanimorum attributus est locus, igni quidẽ sursum, terræ uero deorsum. Vi porrò adigitur cogiturque inanime, cum lapis sursum, ignis deorsum impellitur. Animal tum quoque cogi est, ueluti equum recto decurrentem tramite, præoccupatum, aliò inflectere. Quicunque igitur quippiam agere contrà quàm fert natura, aut præterquam uolunt, impellentem deforis habent causam: coactos dicimus ea agere quæ agũt. quibus uero interna est causa, hos non item cogi dicimus. Siquidem nec ipse incontinens obloquitur diffitens se malum esse, sed impulsum adactumque cupiditate, se mala peragere. Quocirca uiolenti hæc nobis subijcienda definitio, nimirum eorum esse quorũ exterior fuerit (à qua agere cogantur) causa. quibus uero interior ac in ipsis est causa, horum nequaquam uis est.

Adhuc de necessitate, ac necessario. Cap. XV.

RVrsum de necessitate ac necessario differendũ. Necessariũ porrò nec omnino nec in singulis esse dicēdum est, ueluti in ijs quæcunque uoluptatis causa peragimus. Nam absurdum sanè fuerit siquis causetur se amici ea ex re corrupisse uxorem, quòd à uoluptate coactus sit. Neque enim in unoquoque est necessarium: sed in ijs modò, quorum deforis est causa: ut si quis nocumento afficiatur, ex rebus aliud quippiam maius contrà concilians: uerbi causa coactus sum ocyus in agrũ proficisci: quippe quòd alioqui reperirem ea quæ in agro, uastata. In hisce igitur est necessarium.

De inuito, ac spontaneo. Cap. XVI.

CVm autē inuitũ in nulla sit appetitione: superest id quidem scrutari quod ex animaduersione cogitationeq; fit. Nã inuitum id primùm est, quod ex necessitate: deinde quod ui: & tertium, quod nõ cum animaduersione fit ac peragitur. Huic porrò rei, aperto sunt ea quæ fiunt, argumento. Nanq; cum quis quēpiam uel percusserit, uel occiderit, aut demum his assimile quodpiam patrarit, nihil horum præcogitans: tum inuitus patrasse nobis dicitur. idq; perinde quasi spontaneum in animi defigatur ac cõsistat animaduersione: ueluti (exempli causa) quandã aiunt mulierem cuidam olim amatorium bibēdum porrexisse: subindéq; tali ex poculo hominem decidisse mortuum, cæterùm mulierē in Areopagũ aufugisse. quo certè in loco deprehensam, non alia de causa liberarunt, quàm eò quòd non id prouidēs fecisset. siquidem ut in sui amorem alliceret, porrexit: eóque ex re lapsa est.

est.adeóque ne spontaneum quidem id esse uidebatur, quòd id genus poculum amoris concitatiuum, nō eo porrexerat animo, ut perimeret. Quibus constat, in id cadere spontaneum, ac in eo consistere, quod ex animi cogitatione animaduersioneq; fit.

De proposito, ac delectu. Cap. XVII.

ADhuc autem & id superest, nimirum ut propositum delectúmq; consideremus, sit ne scilicet appetitus, an secus. Appetitus *nanque in ijs quoq; animalibus suboritur, quæ rationis sunt expertia. at hisce non congruit delectus: quippe quòd is cum ratione sit. ratio porrò nulli alij animali præterquam homini cōpetit: proindéque dubium non est quin ne ipse delectus appetitus sit.*

Verum nónne is uoluntas, an ne id quidem? Nam *uoluntas, eorum item est, quæ fieri haud queant: ueluti uolumus immortales esse: at uero neutiquam id proponimus ac deligimus.* De*inde delectus, non ipsius quidem finis existit, at eorum quæ ad finem: ut nullus sanari deligit, sed quæ sanitatem efficiunt, nēpe deambulare, currere deligimus.* Atqui *finium est uoluntas. uolumus enim cōsequi sanitatem, ac sani esse. Quare hinc quoque euadit exploratum, uoluntatem & delectum non eadem esse.* C*æterùm propositum delectúsque perinde habere uidetur (ac sua ipsius promit appellatio) ueluti hoc quidem præ illo ponimus ac deligimus, ut optimum præ deteriori, cum id in nostra situm sit optione. indéq; proponere ac deligere, hoc ipsum proprie esse utiq; uideatur. Cum itaque nihil horum sit electio, nunquid quod ex animi cogitatione ac sentētia fit, idipsum est quod electionem subit, an ne id quoque? Complura nanque sunt quæ ex animi sententia præmeditatíque cogitamus ac opi*

namur. utrúmne igitur quæ cogitamus, eadem quoque proponimus ac eligimus, an secus? Sæpenumero enim ea quæ apud Indos sunt, animo uoluimus, ac de his cogitamus: horum tamen ne unum quidem eligimus. Non itaque est electio, mentis cogitatio ac sententia. Quòd igitur singulatim nihil horũ esse uideatur electio, hæc uero sunt quæ in anima gignuntur: eorum demũ sit ipsa, quæ concingunt, circumque assidẽt, preciũ est operæ. Postquam ergo (prout antea indicauimus) eorũ est electio, quæ ad finem, non etiam finis: eorum quoque quæ in nostra sunt facultate: quæque contradictionem pugnantésque rationes inuehũt, sit ne hoc, an illud deligẽdum: non dubium proinde est, quin antea etiam de hisce cogitare ac consultare opus sit. Cumq; subinde nobis animo uolentibus id innotuerit quod melius, tum quoque ad agendum quædam surrepit appetitio: idque demum facientes, ex electione dicimur agere. Quòd si electio, appetitus quidam est ex animi cogitatione ac sententia conciliatus: profectò non idem deligibile, quod spontaneum. Spõte nanque complura agimus prius quàm ea ipsa obuersemus animo, atque consultemus: ueluti sedemus, surgimus, & hoc genus non pauca sponte quidem, sed citra mẽtis cogitationem exequimur. proinde non idem prorsus deligibile, quod spontaneũ. Cæterùm contrà quod deligibile, idem quoque est spontaneum. Nãque si adscito consilio quippiam agere decreuerimus, certè id sponte facimus. Porrò pauci quidam ex legumlatoribus, ipsum quidem spõtaneum, & quod ex electione, quòd non idem sit utrunque, secernere uidentur: quippe qui minores spõtaneis, quàm ex electione agentibus, præscribũt infligẽdas mulctas. Quocirca electio in ijs consistit, quæ sub actionem cadunt, ijsq; ipsis quæ est in nobis positum & agere & non agere, itemque sic ac aliter, denique

denique in quibus sinere est propter quid. Verùm propter quid, non est simplex, unóque acceptum modo. Nam in geometria cum quis dixerit quadrangulum quatuor rectis aequos habere angulos, rogátque aliquis propter quid: quòd (inquit) ipse quoque triangulus duobus rectis aequales habet. Quare in talibus, ex adscito, stato, definitóque principio, propter quid redditur. At uerò in ijs quae sub actionem cadũt, in quibus quidem est electio: non ita. neque enim inibi ullum est quod reddi possit definitum principium: sed si rogarit quis, quam ob rem hoc egerit, quod dicat occurrit, nimirum quòd non erat aliter ut facerem, uel quia hoc pacto melius. ex ijs scilicet quae succurrũt, ea ipsa deligens, ac propter haec, quae quidem uisa fuerint praestare. Quapropter in his, quidnam, & quomodo congruat fieri, consulendum sanè. in disciplinis uero neutiquam. Quo nempe modo scribẽdum sit nomen Archiclis, nemo est profectò qui consilium ineat. Proinde peccatum non quidem in intelligẽtia, sed in ipsa scribendi actione fieri accidit. In quibus porro nullum emergit in intelligentia ac cogitatione peccatum: de ijs ne consiliũ quidem initur. Caeterùm quod in intelligẽtia est mendum, in ijs contingit, in quibus indefinitum iam est quidnam, ac ut fieri opus congruúmque sit. Atqui in ijs quae sub actionẽ cadũt, atque in quibus duplex obrepit error, hoc ipsum incertum indefinitúmque est. Quocirca in ijs quae sub actionem cadunt, perinde aberramus, ac in uirtutibus, ijsque quae uirtutum sunt. Virtutem nanque coniectantes, oberramus ob insitas nobis uias, siquidẽ in exuperatione iuxtà ac defectione peccatum desigitur. ad utrunque autem ferimur adacti uoluptate, tristitiáque. Nam per uoluptatem improba agimus, & per dolorem laboriosa diffugimus ac posthabemus honesta.

De animi sententia, atque consilio Cap. XVIII.

AD haec non est animi sententia perinde quasi sensus. nam per uisum sola fieri potest uisio, per auditum sola auditio. neq; identidem consultamus, sitne auditu audiendum, an uidendum. At uerò *animi sententia non perinde habet, sed sic huius est, ut & in alia, sua quoque pertingat functio: eáque ex re inibi iam consultatio locum habet.* Quocirca *peccatum in delectu bonorum emergit, nō quidem eorum quae sunt fines (nempe hos bona esse nemo est qui non consentiat, ueluti bonam esse sanitatem) sed eorum iam quae ad finem: ut, conducátne sanitati hoc comesse, an secus.* Proindéque *in his longè maximè aberrare faciūt uoluptas ac dolor. quippe hunc diffugimus, illam uerò deligimus.*

Postquam *igitur discretum nobis est, in quo consistit delictum, ac quonam accidat modo: superest demceps expromamus cuiusnam rei sit ipsa uirtus coniectatrix, finísne, an eorum quae ad finem, ut honesti, an eorum quae ad honestū.* Porrò *quo pacto hac in re habet scientia? utrúmne architecturae intersit, pulchrè finem praestituere ac praescribere: an ea potius conspicari intuerique, quae ad finem?* Nam *si finis probè proponatur, ueluti pulchra bonáque domus conficienda: reuera quae ad id spectant, ne alius quidem exhibebit aut inueniet quàm architectus. idémq; in cūctis aliis scientiis.* Perinde *igitur & in ipsa quoq; uirtute habere uidetur, ut certe amplius eā sibi cōgruere quae in finem est consideratione͂, cuius scilicet omnem in partem interest rectè proponere: quàm quae eorū est, quae ad finē.* Atque *ex quibus finis conquiri potest, neenō quae ad hunc conducunt, necessariáque sunt: ne ullus quidem alius exhibebit ac inueniet, quàm qui uirtutem nactus est.* Et *quidem rationi cō-*

sentaneum est, uirtutis esse, in iis rectè finem proponere, in quibus quodque cum effectiuum tum propositiuum, optimi principium quoddam est. nihil nempe præstantius est quàm uirtus, præsertim quòd eiusce gratia sint & alia. in ipsam quoque inflectitur, ac ob ipsam est principium. Huius gratia impensius *sunt ea quæ ad hoc.* Finis porrò *cuidam principio assimile euadit: necnon eiusce causa unumquodque est.* Verùm *hoc, modo quodam intelligendum.* Proinde *dubium non est, quin in uirtute (quandoquidem optima est causa) sic quoque accidat: nimirum ipsam magis esse finis coniectricem, quàm eorum quæ ad finem.*

De honesto, uirtutis fine. Cap. XIX.

AT *uerò finis uirtutis est honestum.* Honesti *itaque est magis uirtus coniectrix, quàm eorum ex quibus exoritur. est uerò & hoc, huic.* Cæterùm *id omnino uideri potest absurdum.* Nam *in pingendi arte fuerit fortasse quispiam egregius imitator: attamen haudquaquam ipse laudandus accedet, nisi posito proposito ac intentione, optima æmuletur.* Quòd *si uirtutis est, ex uniuerso finium numero quod est hoc honestum, proponere: quamobrem ergo (dixerit utique aliquis) prius quidē diximus actionem præstantiorem esse, quàm ipsa sit uirtus: nunc uerò non ex quibus est actio, hoc uirtuti tribuimus tāquam melius, sed contra ubi nulla est actio?* Etiam. *sed & nunc æquè quoque dicimus actionem ipso præstare habitu.* Siquidem *alij homines probum considerantes, ea ex re eundē ex actione diiudicant ac discernunt: quòd fieri haud queat, ut quæ cuique inest electio, demonstretur, conspicuáque euadat.* Nam *alioqui si persp e-*

cta foret, quæ cuique erga honestum sententia est ac uolūtas: tum quoq; citra actionem probus utique uideretur. Postquam uerò quasdam affectuum medietates recēsuimus: deinceps circa quos uersentur affectus, dicamus opus est.

De fortitudine, & uarijs eius modis. Cap. XX.

CVm ergo sit fortitudo circa fiducias ac metus, perscrutandum fuerit utique circa quos metus fiduciásque. Nunquid igitur siquis pertimescit ne substantiam disperdat suam, isce timidus? sin uerò circa hæc audeat, fortis? an non? Acquè quoque si quispiā duntaxat formidet aut audeat: neque timidus censendus est qui formidat, neque fortis qui audet. Non igitur in eius generis metibus ac fiducijs est fortitudo: uerùm neq; in talibus, quod genus sunt cum quis tonitrus & fulgura, aut aliud quippiam supra hominem formidabilium non horret. certè is non fortis, sed insanus. Quare in ijs metibus & fiduciis quæ secundum homines sunt, fortis est. Hoc genus uerò ea appello, quæ reliqui metuunt, aut omnes: in quibus qui audeat, idem fortis fuerit. His ad hunc modum definitis, quòd secundum complura fortes dicantur: considerandum fuerit qualis sit fortis. Siquidem fortis est aliquis per experientiam, ut milites: quippe qui ab experientia didicerint, in tali loco, uel tali tempore, uel re ita habente, fieri non posse ut quippiam patiantur. Qui uerò hæc nouerit, & eas ob res, ingruentes hostes sustulerit: haudquaquam fortis. nam si nihil horum affuerit, tum sanè non suffert. proindéque non ij censendi sunt fortes, qui per experientiam. Neque Socrates rectè aiebat cum assereret fortitudinem esse scientiam. nam adscito ex consuetudine experimento, suboritur

ritur scientia. atqui eos qui ob experientiam sufferunt: neque nos, neq; ipsi, fortes esse censemus. proindéque fortitudo haudquaquam fuerit scientia. Rursum sunt quoque fortes ab eo quod experientiæ aduersatur. nam inexperti, nihil eorum quæ succurrunt, ob imperitiam formidant. sed neque hi, fortes censendi sunt. Deinde uerò alij fortes esse uidentur ob passiones: quod genus sunt amãtes, ac furentes. At ne hos quidem fortes existimare conuenit. Nam adempta quæ in eis est passione, ne amplius quidem fortes fuerint. at uerò sit ipse fortis, perpetuò fortis, opus est. Quare neq; feræ, ueluti sues, à quoquã dicẽdæ ueniũt ea ex re fortes, ꝙ postquam sauciæ ingemuerint, ad ultionem prorumpãt, ulciscantúrq;. Quarto aliud quoddam occurrit fortitudinis genus, quod ciuile apparet esse: cuius generis sunt qui eo adducti pudore, quo ciues affici assolent, pericula tolerant, fortésq; apparent esse. Argumentũ uerò huius ipse etiamnum Homerus fecit Hectora, quem ita loquentem inducit: Polydamas hoc ante alios uertet mihi probro. eóq; pugnãdum arbitratur. Cæterùm neq; huiusmodi appellitãda est fortitudo. nam eadem cuique horũ aptatur & congruit definitio ac seiunctio. Quo nempe ablato non perdurat fortitudo, ne ob id quoq; fortis fuerit. Porrò si pudorem per quem fortis erat, ademero: non ultrà fortis perstabit. Denique alio quoque genere ij fortes esse uidentur, qui ob spem, bonique expectationem. At uerò neq; hi fortes dici debent. Postquã igitur absurdum uidetur, tales, talibúsque ex rebus censere fortes: nullus sanè horũ utcunque fuerit fortis, statuendus est fortis esse. atque adeò quisnam sit fortis, considerãdum. Vt autem simpliciter paucísque absoluã, ne ob unum quidẽ ex haud ita pridem adductis fortis subiiciendus est, sed qui eam ob rem hoc ipsum

operatur, quòd arbitretur idem quoque honestum esse, etiam si quæpiam, uel nulla alia adsit causa. Verùm neque omnino citra paßionem appetitionémque gignitur fortitudo, cæterùm opus est appetitionem à ratione ob honestum excitari. Qui porrò honesti causa cum ratione appetit periclitari, ac sese periculis exponere, circa hæc intrepidus manens: is utique fortis fuerit: necnon circa ea ipsa, fortitudo uersatur. Intrepidus uerò, non cum sic acciderit forti, ut nullus prorsus adsit metus. nempe talis, utpote cui horrendum est nihil, haudquaquam fortis est. Sic enim lapis, aliáq; inanima, fortia fuerint. Cæterùm metuere quidem opus est: sufferre tamē. nam iterum si nihil metuens toleret, non utique erit fortis. Adhuc autem (quemadmodum antea diuidentes indicauimus) circa metus fiduciásq;, non quidem omnes, sed ademptiuas substantiæ ac rerum, uersatur. Ad hæc neque quaque in re contingente, neque quouis tempore: sed cum metus periculáque circunsteterint plurima. Nam si quis decimo pòst anno futurum non extimescit periculum, quonam pacto fortis? Nonnulli enim, quòd longe absint pericula, audent quidem: quæ si fuerint proxima, emoriātur metu. Fortitudo itaque, fortísque, huiusmodi fuerit.

De temperantia, & uitiis eius extremis. Cap. XXI.

T*Emperantia uerò, intemperantiæ & insensibilitatis circa uoluptates, medietas existit. Nam temperantia, & prorsus uirtus omnis, habitus est optimus. Habitus autem optimus, optimi est. at optimum, inter exuperationem defectionémque interstes ac medium est. Nam utrinque uituperandi ueniunt, exuperatione scilicet, & defectione. Quare si quidem medium optimum fuerit,*

rit, ſanè temperantia medietas quædam intemperantiæ & inſenſibilitatis: & quidem horũ, circa uoluptates ſcilicet ac dolores, fuerit medietas. Porrò temperantia circa uoluptates ac triſtitias non quidem omnes, aut quæ omnium ſunt, uerſatur. Neque enim ſi quiſpiam picturæ, ſtatuæ, aut eiuſce generis alterius cuiuſpiam oblectetur contuitu: etiamnum is intemperãs fuerit. Aeque quoq; nec circa eas uerſatur quæ auditus aut olfactus ſunt: ſed circa uoluptates quæ ad tactum guſtúmq; referuntur. Neque porrò circa has uir tum fuerit temperans, cum ita ſe habet, ut ne ab una quidem huiuſmodi uoluptatum quicquam patiatur (talis ſiquidem inſenſibilis) ſed qui iam patitur quidem, at nõ ita ducitur, ut complura inuehat ſuperflua ac operetur, quò earundem fruatur exceſſu. Atque hunc quidem ipſum, honeſti iam gratia, & non ob aliud quicquam, id agentem, temperantem appellitamus. Quiſquis enim à talium uoluptatum exceſſu propter metum aut quiduis aliud huiuſmodi abſtinuerit, neutiquam temperans. Neque porrò animalia diſcreta ab homine, ea ex re dicimus temperantia, quòd ipſis deſit ratio, qua approbantes, honeſtum deligunt. Omnis itaque uirtus honeſti eſt, & ad honeſtum tendit. Quare fuerit utique temperantia circa uoluptates & dolores: & has quidem, quæ in tactu guſtúque ſunt. Sequitur nũc ut de manſuetudine dicamus, & quid ſit, & in quibus conſiſtat.

De manſuetudine. Caput XXII.

MAnſuetudo itaque interſtes mediáq; eſt iracundiæ, & iræ uacuitatis. omninóque apparẽt uirtutes media quædã eſſe. Cæterùm hac quoque ratione eas dixerit quiſpiã medietates eſſe. Nã

si in medietate optimum consistit, uirtus uerò optimus sit habitus, necnō id optimum, quod medium: ipsa sanè medium fuerit. At hoc iis qui quanque singulatim considerant, plenius euadit exploratum. Quòd enim iracundus is sit, qui cuique, omníque ex parte, ac suprà quàm par est, irascitur: idem nimirū uituperandus occurrit. Neque enim cuique, neque cunctis ex rebus, omninóque ac semper irascendum est: nec rursum contrà ita quempiam habere conuenit, ut nulli prorsus irascatur. Vituperãdus siqudem is occurrit, qui est iræ uacuus. Cum igitur tam qui ad excessum, quàm qui ad defectum decumbit, uituperationem incurrat: medius nimirum horum fuerit mansuetus, idémque laudabilis. Nec enim qui in ira deficit, neque item in eadem exuperans, laudem meretur ullam: sed qui moderatè erga hæc habet, is mansuetus. atque adeo horum affectuum fuerit ipsa mansuetudo medietas.

De liberalitate, & uitiis eius extremis. Cap. XXIII.

Liberalitas, inter prodigalitatem & illiberalitatem mediocritas est. Versantur porrò huiusmodi affectus circa pecunias. Siquidem prodigus est, qui in quibus non cõgruit, & plusquam par est, ac cum minime opus est, expendit. Illiberalis uerò huic contrarius, is est, qui in qubus opus est, quãtúmque, ac quando decuerit, non expendit. Cæterùm uituperationem incurrit uterque: hic quidem quòd deficiat: ille uerò quòd exuperet. Proinde liberalis, quandoquidem laudabilis, mediam inter hos tenet sedem. Quisnã ergo? nimirum qui ad quæ congruit, quantáque, ac cum opus est, expendit.

De spe-

De speciebus illiberalitatis. Cap. XXIIII.

SVnt uerò complures illiberalitatis species: quod genus sunt ij quos tenaces ac aridos, quos cymini sectores, quos turpilucros, quos denique rei paruæ ac uilis magnipensores appellitamus. Cuncti siquidem hi sub illiberalitatem decidunt. malum nanque multifidum: bonum contrà solistimum: ut sanitas simplex quidem est: at ægritudo multiplex. Aeque quoque uirtus, una simpléxque est: cum tamen sit uitium multiforme. Omnes porrò nunc memorati, circa pecunias uituperandi occurrunt. Est ne igitur liberalis, & possidere & apparare pecunias, an secus? nec enim ullius alterius uirtutis id esse uidetur. Neque enim fortitudinis interest arma fabrefacere, sed est alteri hoc delegatũ munus. uerùm sua refert, ea sumere, eísque rectè uti. Idem de temperantia aliísque uirtutibus dicendum occurrit. Proinde nec ipsius quoque liberalitatis est pecunias apparare ac conficere, sed pecuniariæ.

De magnanimitate, & eius extremis. Cap. XXV.

MAgnanimitas est impotentiæ & pusillanimitatis medietas. Versatur porrò circa honorem ac inhonorationem. Et circa honorem, nõ eum quidem qui à multis offertur, sed qui à probis: quippe qui plenius ipsi cõgruit accommodúsque est. Probi nanque quòd cognoscant, idémque probè iudicent, honorabunt. Expetit proinde magis ab iis honorari quibus honore dignus perpenditur. Nec uerò circa quemuis honorem fuerit, sed circa optimum, qui idem quoque honorabile bonum sit, ac principatus sedem obtinens. Cæterùm qui eum reuera contemptibi-

les ac mali sint, se nihilo minus magnis dignantur, subindéque sese putant honorandos: arrogantes dicuntur. At *contrà qui pressius, minoribúsque quàm par est, se dignos censent honoribus: pusillanimi.* Proinde non dubium est, *quin medius horum is fuerit, qui neque minore quàm deceat honore uelit honestari, neque item maiore quàm æquum sit, neque omni: qui nimirum magnanimus est: atque adeo certum est magnanimitatem esse arrogantiæ & pusillanimitatis medietatem.*

De *magnificentia, & extremis eius.* Cap. XXVI.

M*Agnificētia est iactationis ac paruificētiæ mediocritas. Est autē magnificentia circa eos sumptus quos à magnifico fieri conuenit.* Quisquis *uerò ubi non expedit, sumptum facit, iactabundus gloriosúsque est: ueluti si quis eos qui symbolum conferunt, perinde epulo accipiat, ac qui nuptias instruit, nuptialíque excipit conuiuio: is sanè ostētator ac gloriosus.* Talis *enim est, qui quo non opus est tempore suam ipsius ostentat opulentiā.* Par*uificus huic contrarius est, qui ubi opus est, hauquaquā magnificos sumptus facit: ut qui pro nuptiis apparandis uel nihil expendit, uel impensam insumit quidem, at non pro dignitate, uerùm parce, tenuitérq;: is ce reuera paruificus. Cæterùm magnificentiam talem esse, qualē dicimus, uel ex ipso nomine conspicuum fit.* Nam *quod competenti tempore magnificum sit: ne iniuria quidem eā ob rem magnificētiæ nomē obtinet. Magnificentia igitur, quādoquidē laudabilis est, fuerit profectò inter defectū excessúmq; circa sumptus decentes medietas. Nōnullis uerò sunt (quemadmodum putāt) cōplures quoq; magnificētiæ: ueluti aiūt, magnificè quidē incedit. Cæterùm huiusmodi,*

aliæque

aliæq; cõsimiles, tralatitiè solũ, nõ etiã propriè magnificẽtiæ dicũtur. Nec enim in illis est magnificẽtia, sed in quibus diximus.

De *indignatione, & oppositis ei affectibus.* Cap. XXVII.

I*Ndignatio est inter inuidiam, & gaudium peruersum ac maleuolentiam, medietas. Vtraque enim hæ uituperabiles sunt: indignabũdus uerò laudabilis. Est porrò indignatio, tristitia quadam circa bona quæ illi cõtingit adesse, qui indignus est: adeóque indignabũdus is est, qui in eiusmodi tristatur. Idémque rursus moleste ferat, si quempiam indignum existentem, perperam agere persẽxerit. Indignatio igitur & indignabundus, talis forsitan fuerit. At inuidus, huic contrarius euadit. Omnino nanque probum opus iniquo feret animo, siue dignus sit is qui agit, siue secus. Perindéque huic, maleuolus, quòd quis perperam agat, seu dignus seu indignus is fuerit, lætabitur. At indignabundus nequaquam huiusmodi: sed inter hos medietas quædam.*

De *grauitate, & oppositis eius extremis.*
Caput XXVIII.

G*Rauitas est inter contumaciam morositatémque, & placiditatem, medietas. uersatur uerò circa colloquia. Contumax nanque ac morosus talis est, ut nullius colloquio conciliationéque gaudeat. at nomen ei inditum suo ex more uidetur. nam αὐθάδης, id est morosus, perinde quasi αὐτοάδης, hoc est sibi placẽs, quispiam nuncupatur: quòd nimirũ sibi ipse placeat. Placidus contrà huiusmodi est, ut cũctis colloquatur ac cõsuescat, itémq; omnino ac usquequaq;. Neuter porrò horũ laudãdus accedit: at*

grauis & uenuſtus inter hos medius conſiſtẽs, laudabilis. Nec *enim erga omnes, ſed erga dignos: non erga nemmem, ſed erga hoſipſos conſueſcit.*

De *uerecundia, & oppoſitis eius affectibus.*

Caput XXIX.

V*Erecũdia eſt impudentiæ & ſtuporis medietas: quæ quidẽ circa actiones ac ſermones eſt.* Nam *impudens is eſt, qui in omni & ad omnes ea loquitur ac agit, quæ utcunque acciderint.* Stupi*dus uerò huic contrarius, qui cuncta ac erga cunctos & loqui & agere ueretur.*Ignauus *ſiquidem iſce eſt, qui ad cuncta obſtupeſcit, in cunctiſque pudeſit.* At *uerecundia & uerecundus inter hos mediam obtinet ſedem. neq; enim omnia, & omnino, uelut impudens, & dicet & operabitur: neque contrà, quemadmodum ſtupidus, in omni & omnino obſtupeſcet: uerùm aget & loquetur in quibus conuenit, & quæ ac quando opus fuerit.*

De *comitate, & eius extremis.* Cap. XXX.

C*Omitas eſt inter ſcurrilitatem & ruſticitatem medietas:éſtque circa ſales.*Scurra *nanq; is eſt, qui in cunctis ac omnino ſales dicendos arbitratur.* Ruſticus *contrà, qui nec ducit ſibi ſalibus utendum, iocandúmque eſſe, nec ipſe quidem ullos in ſeſe conijci ſales permittit, ſed excandeſcit.* At *comis ac urbanus inter hos medius, nec in omnes omninóque iocatur: neque idem ruſticus agreſtiſque eſt.* Cæterùm *comis, uno & altero modo quadãtenus dicitur.*Nam *& qui appoſite iocari nouit, pariter & qui in ſe coniectos ſuffert ſales: nimirum comis. taliſque eſt comitas.*

De *ami-*

De amicitia, & uitijs eius oppositis.
Cap. XXXI.

Amicitia, adulationis & inimicitiæ medietas est in actionibus atque sermonibus cōstituta. Nam adulator est, qui plura quàm congruum sit, adsintque, cuipiā ascribit. Exosus uero, inimicus, qui cōtrà ea quæ adsunt, aufert. Neuter ergo horum iure laudandus accedit. At uerò amicus inter hos medium obtinet locū: quippe qui nec plura quàm adsint, arrogauerit: nec ea quoque extulerit, quæ minus decent: neq; contrà quàm sibi apparet, aut imminuet, aut aduersabitur. talis igitur fuerit amicus.

De ueritate, & oppositis eius extremis.
Cap. XXXII.

Veritas inter dissimulationem et iactantiam media est: quæ quidem circa sermones uersatur: at non omnes. Etenim iactator est, qui plura quàm quæ insunt, sibi adesse affingit ac uēdicat, aut scire quæ non nouerit. Dissimulator uerò huic contrarius, is contrà qui sua attenuat, minoráque ac pauciora quàm quæ insunt, sibi simulat adesse: necnon quæ nouit, non dicit quidem, uerùm occultat, ac se scire dissimulat. At uerax, neutrum horum admittit. nec enim plura quàm quæ adsunt, sibi arrogat, neq; pauciora: uerùm quæ sibi competunt, eadem quoque & adesse & scire fatebitur. Porrò sint ne hæ ipsæ uirtutes, alia quidē fuerit consideratio. Cæterùm dubium non est, quin iam dictorum sint medietates: quippe quòd ij laudentur, qui secundum ipsas degunt.

De iustitia & iusto, ac partibus eius. Cap. XXXIII.

Superest ut de iustitia dicamus quidnam sit, & in quibus, ac circa quæ: si prius tamen quid sit iustum, sumpserimus. Iustum porrò bifidum est. Vnum quidem secũdum legem. Aiunt nempe ea iusta esse, quæ lex exigit. at lex, fortia & temperata, ac prorsus omnia quæ secundum uirtutes dicuntur, nos facere iubet. proindéque aiunt iustitiam uideri quãdam esse uirtutem perfectam. Nam si iusta sunt quæ lex facere mandat, lex autẽ cũcta exigit quæ per singulas sunt uirtutes: constat nimirum eũ plenè ac perfectè studiosum esse, qui iustis ex lege immanserit. Quocirca iustus ac iustitia, uirtus quædã perfecta est. Vnũ itaque quoddã iustum, in his, & circa hæc est. Veruntamẽ neq; hoc iustum, neque que circa hæc, iustitiam uestigamus. Nanq; per ea ipsa iusta contingit per se existentem iustum esse. Siquidem temperans, fortis ac continens, & ipse quidem per se talis fuerit. At uero iustum quod ad alterum est, à memorato ex lege iusto discretum euadit. neq; enim in hisce iustis quæ ad alterum sunt, per se iustũ esse, contingit sumere. Idipsum autem est quod quærimus iustum, nimirum quod per eã iustitiã quæ circa hæc. Quod itaq; ad alterum est iustum: idẽ quoq; (ut paucis perstringã) æquale est. nã iniustum, inæquale existit. Cũ enim ex bonis maiora sibi impartiti fuerint, ex malis cõtrà minora: id tum inæquale est. atq; hoc sanè modo iniuria afficere & affici arbitrãtur. Manifestum proinde euadit, cũ sit iniustitia in inæqualibus, iustitiã & iustum in cõmerciorum æqualitate cõsistere. Atq; adeò dubium nõ est, quin iustitia inter excessum & defectum, multũ & paucum, quædã fuerit medietas. Nanque iniustus, iniuriã irrogando, plus habet: cõtrà affectus iniuria,

quo

quò iniuria afficitur, minus. Interstes porrò horum, iustum est. quod autẽ medium, idem quoq; æquale. Quare iustũ erit utiq; inter plus & minus æquale: iustus uero, qui æquale habere uult. At uero æquale in minimis duobus cõficitur. quod igitur ad alterum est æquale, iustũ est. ac iustus talis profectò fuerit. Quoniã ergo iustitia in iusto & in æquali ac in medietate consistit: iustũ uero in quibusdã dicatur iustũ, itemq; æquale, quibusdã æquale: necnon medium, quibusdam mediũ: non dubium proinde est quin iustitia pariter & iustũ, ad quosdã & in quibusdã fuerit. Cum igitur iustum sit æquale: etiã quod huic proportionale æquale, iustum sanè fuerit. Atqui proportionale in quatuor minimis cõficitur. Nã quẽadmodum a ad b, ita c ad d, ueluti proportionale est: ut q multa possederit, multa afferat: qui uerò pauca possederit, pauca. Aequè quoq; ut qui multum adlaborauerit, multa capiat. qui uerò pauca adlaborauerit, pauca referat. Vt autem qui laborauit, ad eum se habet qui nõ laborauit: ita quoque multa ad pauca. Vt uero qui laborauit, ad multa se habet: sic qui non laborauit, ad pauca. Videtur uerò Plato hac etiam iusti usus proportione in opere quod de Republica conscripsit. Agricola enim (inquit) cibũ parat, ædificator uerò domum: textor autẽ pallium: sutor calceum. Agricola igitur architecto suggerit cibũ: architectus contrà agricolæ domum. idémq; modus in cunctis alijs est. Quocirca quæ sua sunt, cum ijs permutant quæ aliorum. Est uerò huiusmodi proportio, quãdoquidem ut agricola ad architectum, sic architectus ad agricolam. Idem in sutore & textore: in cunctísque alijs eadem demum sit adinuicem proportio. atque hæc proportio totam continet ac coaptat Rempublicam. Adeóque iustum, proportionale esse uidetur: quòd & ipsum quoque respublicas astringat ac cõponat. Idẽ porrò est iustũ, quod proportionale.

ad minus

Cæterùm quoniam architectus suum opus maiore precio dignum efficit quàm sutor, ac difficile erat sutori permutare cũ architecto (neque enim pro calceis par fuerit domum capere) hinc iam (quò cuncta id genus forent uenalia) lege sanxerunt, argento quopiam (quod numisma appellitauerũt) utendũ, necnon pro dignitate uniuscuiuslibet mutuam fieri permutationẽ: ac per eãdem, ciuilẽ adstringi societatem ac conseruari. Postquam igitur iustum & in hisce ac in antea recensitis consistit: quæ circa hæc iustitia, circa ea ipsa ac in his quandam ex habitu nacta sit appetitionẽ cum electione, est precium operæ.

Est uerò & iustum quod retaliatum: at non ut aiebant Pythagorei. Rati nanque sunt mihi iustum esse, nimirum quæ quis fecerit, eadem quoque contrà pati. quod quidem erga omnes haudquaquam iustum est. Nam seruo non est idipsum iustum erga ingenuum: quandoquidem haudquaquam iustum fuerit, seruum qui ingenuum ceciderit, contrà duntaxat repercuti, sed impensius. At uero retaliatio iusta est, quatenus proportionalis, iuxtáque proportionem admittitur. Quemadmodum enim ingenuus, quà præcellit meliórque est, ad seruum se habet: sic sanè contrafacere, ad facere. Modo quoq; haud absimili ingenuus erga ingenuum sese habuerit. Nec enim iustum est, siquis cuiuspiam oculum eruerit, duntaxat eidem cõtra excidi: sed plura assectãtia proportionẽ patiatur, opus est. siquidẽ & cœpit prior: & iniuria affecit. affecit uero iniuria utraq; ex re. Quare hæ iniuriæ, & plura ab ijs quæ egit, contra pati: proportionale iustum sunt. Cæterum cum iustum pluribus dicatur modis: definiendum quidem fuerit, de quonam iusto nobis est consideratio. Iustum nanque quoddam est (quemadmodum aiunt) seruo erga dominum, & filio erga patrem. Atqui

quod

quod in hisce est iustum, apparet nimirum iusto ciuili æquiuoce dici. Iustum porrò de quo nobis pertractatio, ciuile iustum est: quod quidem maxime in æqualitate consistit. Siquidem ciuiles quidam, socij ac pares natura esse affectant: at more alteri, ac inæquales. Filio autem erga patrem, & seruo erga dominum, ne ullum quidẽ iustum esse uidetur. nec enim pedi meo erga me, neq; manui, neque identidem cuipiã membro iustum ullum apparet esse. Modo nimirum consimili, filius erga patrẽ habere uisitur: quandoquidem patris pars quædam filius itidem est. Veruntamen cum in uirum euaserit, atque adeo à patre separatus fuerit: tum quoque patri æqualis ac similis erit. Ciues uero, æquales ac pares uolũt esse. Aeque quoq; ac eadẽ ex causa, seruo erga dominũ, nullũ est iustũ: quippe quòd domini seruus sit. Quòd si quodpiam huic erga hunc iustum, domesticum profecto iustum fuerit. Cæterum non huiusmodi iã quærimus iustum, sed ciuile, quod reuera in parilitate ac similitudine esse uidetur. Verumenimuero quod iustum in mulieris & uiri communicatione ac societate est: ad ciuile iustum proxime accedit. Nam deterior quidẽ est uiro mulier ipsa, sed impensius familiaris domesticáque, ac æqualitatis quadantenus magis particeps. Proindéque ipsorum uita, ciuili societati proxima est. quare quod mulieri erga uirum est iustum, quapiam iam ex parte præ alijs ciuile est. Quoniam igitur iustum in ciuili communicatione constitutum est: iustitia simul ac iustus circa ciuile iustum erit. Iustorum porrò hæc quidẽ natura, illa uerò lege sunt. Verũ iusta natura sic sumere opus est, nõ perinde quasi nunquam deciderint, trãsmutatáque fuerint. Etenim quæ natura sunt: ipsa quoque subeunt mutationem. Dico uero, ueluti si deinceps semper sinistra iaculari pergamus:

ambidextri euademus utique. Cæterum natura quidem sinistra est: ac dextra nihilo minus quàm sinistra meliora sunt natura, etiā si singula sinistra perinde ac dextra fecerimus. Neq; ea ex re quòd decidat ac transmutetur, non est natura: sed si ad plurimū multóq; tēpore sic persistat sinistra existēs sinistra, & dextra dextra: hoc nimirum natura esse censendum. Aequè quoque in iustis natura accidit. Nam si nostro immutentur usu: non eā ob rem non est natura iustum: quinimo est: quandoquidē quod ut plurimum perdurat, natura iustum esse apertum est. Quod porrò statuimus, legéque sanximus: id iam iustum est, & iustum quidem ex lege appellitamus. Præcellit ergo iustum secundum naturam, illud quod secundum legem. Cæterùm quod peruestigamus iustum, ciuile est: quod procul dubio non natura sed lege est. At uero iniustum & iniuria, unū idemq; esse uidentur: non sunt autem. Nam quod lege definitum iniustū est, ueluti deposito quempiam fraudare: iniustum est. Iniuria uero est quippiam iam iniuste egisse. Pari modo iustum & ius, non idē. Nam iustum est lege definitum, ius uero est iusta peragere. Quando igitur iustum, & quando non? Vt rem paucis cōplectar, cū ex electione suáque sponte quis fecerit (spōte uero eum agere, indicatum superius nobis est) itémque cū sciens & quē, & quo, & cuius gratia: is nimirum iustum egerit. Aequè quoque ac consimili modo idem iustus fuerit, qui scit & quem, & quo, & cuius gratia. At quando nihil horum agnoscens, iniustum quippiam perpetrarit: iniustus quidē non est, sed infortunatus. Si enim ratus hostem occidere, patrē occiderit: iniustum quidem fecit: at tum nullum affecit iniuria, sed egit infeliciter. Quòd igitur non sit iniusta perpetrantem ex ignoratione, iniuria afficere: idipsum est quod paulò antea dicebatur: utpote

pote

pote cum neutiquam sciens, neque quem offendit, neq; quo, neq; cuius causa. Verum enimuero definienda iam est ignorantia: quanam uidelicet oborta ignorantia, quem lædit, non affecerit iniuria. qua in re hæc sit definitio. Cum ignorantia, causa fuerit quippiam perpetrandi, tum non sua hoc agit spõte, proinde neque iniuria afficit. At cum ipse suæ ipsius ignorantiæ causa fuerit, demúmque quippiam per eam admiserit ignorationem cuius ipsemet est causa: tum is iniuria affecit, idémque merito causa censebitur: ueluti in ebrijs accidit. Qui nanq; se inebriãt, ac demum prauum quippiam faciunt, iniuriam profecto inferunt, quippe qui suæ ignorationis causæ existãt. Congruum enim ipsis fuerat, non eousque bibere, ut ignorando cæderẽt patrem. Idémque in cunctis alijs ignorantijs euenit quæcunq; ex ipsis oboriuntur facientibus, qui nimirum per ipsas iniuria afficientes, iniusti habentur. Quorum uero ne ipsi quidẽ sunt causæ, sed est ipsis agentibus, agendi causa, ignorantia: neutiquam iniusti. Est enim huiusmodi ignorãtia, naturalis, perinde ac nescij infantes suos patres uerberant: cæterum quæ in ipsis est ignoratio (nempe naturalis) non efficit ut ob eam ipsam actionem ipsi dicantur iniusti. siquidem ignorantia causa est perpetrandi hæc. Eiusce autem inscitiæ ne ipsi quidem causæ sunt, proinde ne iniusti quidem dicuntur. Verum de ferenda iniuria, quonam scilicet pacto contingat quempiam iniuria affici: deinceps dicendum, utrúmne sit quempiam sua sponte iniuria affici, an secus. Iusta nãque ac iniusta ultronei peragimus: afficimur uero iniuria, nostra non item sponte. Cruciatus siquidem ac punitiones deuitamus: atque adeo dubium non est, quin ne ultronei quoque afficiamur iniuria. Nemo enim lædi sua suffert spõte. affici uero iniuria, lædi nonne est? est reuera. Verum enimuero nonnulli sunt quos deceat æquale assequi: qui

tamen cedunt quibusdã. Quòd si æquale consequi, erat iustum: cõtrà minus habere, iniuria affici est. Atqui minus habet sua spõte. ultroneus ergo (inquit) iniuria quis afficitur. Cæterùm hinc quoque apertum euadit quòd ne sic sponte quidem. Cuncti nanque qui minus accipiunt, uice illius sibi conciliant aut honorem, aut laudem, aut gloriam, aut amicitiã, aut id genus quippiam. At qui nonnihil sibi contrà conciliat, cuíque uice illius quod amittit, quippiam repẽditur: is nimirum neutiquam iniuria afficitur. Sin non huiusmodi accesserit repensio: sine controuersia suffert iniuriam. Rursus qui minus accipiunt, eóque affici putantur iniuria, quatenus non assequuntur æquale: ijdem exornati ac nobilitati ob huiusmodi euadunt, quòd dicunt, Licuit mihi æquale cõsequi: non consecutus sum autẽ, sed cessi seniori, aut amico. Atqui nemo iniuria affectus exornatur. Quòd si nulla in illatis iniurijs adsit exornatio, exornẽtur uero in his: non ij prorsus afficiantur iniuria, qui ita minus assecuti fuerint, necesse est. Quòd si nulla his irrogatur iniuria: ne sponte quidem iniuria afficiebantur. Sub hæc, hisce sermonibus, ea quæ de incontinente texitur ratio, aduersari uidetur. Nam incontinens ipse quidem sciens semetipsum offendit: quare sponte afficitur ipse à sese iniuria. Verùm huc ascita definitio hanc rationem præpediet ac elidet. Est porrò ad hunc modum definitio: neminem uidelicet uelle iniuria affici. Atqui incontinens ea uolens agit, quæ per incontinentiam. proinde si is sese iniuria afficit: uult ergo mala sibi infligere. Atqui uult nemo iniuria affici, quare ne incontinens quidem sese iniuria sua affecerit sponte. Cæterũ hinc rursum dubitauerit fortassis quispiam, nonne contingat quenquam sibi iniuriam inferre. Nanq; id dispecto cuipiam incontinente, uidebitur contingere:

& hoc

& hoc quoque modo. Si nanque hæc sunt iusta, quæ lex agenda decernit: qui non agit ea, iniuste facit. itémque si erga quem agendum iubet, erga eundem non egerit: nimirum afficit ipsum iniuria. Atqui lex iubet tẽperantẽ esse, substãtiam rémque suã possidere, sui corporis curã habere, & hoc genus alia. Qui ergo hæc nõ agit, sibi infert iniuriã. ad nullum nanq; aliũ huiusmodi iniuriæ pertinent ac referuntur. Veruntamen nequaquã hæc uera sunt: nec contingit quenquam sese iniuria afficere. Nam neutiquam fieri potest ut idem eodem tempore plus habeat, & minus: neque itẽ ut ultroneus pariter & inuitus existat. Atqui iniuriã inferens, quatenus iniuria afficit, plus habet: contrà iniuria affectus, quatenus iniuria afficitur, minus. Si itaque quis sese ipse iniuria afficit, accidit eundem per idem tempus plus habere & minus. At hoc fieri haudquaquã potest. non ergo accidit quenquam sese iniuria afficere. Amplius, qui infert iniuriam, sua spõte iniuria afficit: affectus uerò iniuria, inuitus iniuriam suffert. Quare si contingit quempiam sese iniuria afficere: accidet eundem simul sponte & inuitum quippiam facere. Atqui id fieri nequit. nõ igitur ita cõtigerit sibi quenquam inferre iniuriam. Rursus idem quoq; quis sumpserit ex particularibus iniurijs. Nam cuncti qui iniuria afficiunt: aut deposito fraudant, aut adulterium perpetrant, aut furantur, aut demum quampiam ex ijs admittunt iniurijs, quæ particulares sunt. At uerò nemo sese suo unquã fraudauit deposito, nec cum sua ipsius uxore adulterium commisit: neque item sua ipsius furatus est. Quare si iniuriam inferre, in eiusmodi constitutum est, nihil uerò horum aduersum sese contingat efficere: palam est non contingere cuipiam, sese iniuria afficere. Sin uero secus: certè ea non fuerit ciuilis iniuria, sed

domestica ac familiaris. Anima nanque in plures dissecta partes, unam quidem habet deteriorem, alteram uero meliorem. Proinde siquid iniuriarum in anima suboriatur: id partium aduersus se inuicem fuerit. Domesticam porrò iniuriam, in partẽ deteriorẽ & meliorem distribuimus: ut fiat ad sese iustum ac iniustum. Cæterùm non eam nos perscrutamur iniuriam, sed ciuilem. Quocirca non contingit quenquam ijs sese afficere iniurijs, quas modo perquirimus. Rursum, utérne iniuria afficit, & in utro est iniuria, in eóne qui unumquoduis iniuste detinet, an in eo potius qui adiudicauit ac distribuit? perinde atque in certaminibus. Nam qui præmium palmámque à præside atque hæc iudicante accipit: non ipse quidem iniuriam infert, etiam si eidem iniuste tributa sit: sed qui perperam tulit iudiciũ ac tribuit, is nimirum est qui iniuriam irrogauit. Ac est quidẽ quatenus hic iniuria afficit: est quoq; quatenus non infert iniuriã. Nam quatenus pro ueritate, & ut iusti exposcebat natura, non adiudicauit, eatenus affecit iniuria: quatenus uero uisum est eidem esse iustum, neutiquam intulit iniuriam. Cum autem de uirtutibus dictũ nobis sit, & quæ sint, & in quibus, & circa quæ: adhuc autem de unaquaque ipsarum, nimirum quòd sit optima, si per rectam operemur rationem: sic quidem exprimere per rectam rationẽ operari, perinde est, ac si quispiam dicat sanitatem progigni optimam, siquis salubria obtulerit: quod prófectò minus est exploratum. Cæterùm dic mihi ac retegito, quænam sint salubria. ita quoque in ratione, quid ratio, & quænam sit ratio recta, aperiendum. Operæpretium forsitan fuerit de eo pertractare: atque id primum partiri, in quo ratio gignitur.

De duplice ui mentis, & utriusque habitu. Cap. XXXIIII.

Definitum

DEfinitum antea quoque de anima ceu per figurã nobis est: nimirum hanc esse animæ partem quæ rationem haberet, illam contrà quæ rationis esset expers. Porò pars animæ quæ ratione prædita est, in duas rursum partes distribuitur: quarum una quidẽ consultatiua, altera uero uis sciendi nuncupatur. Has uerò inter se inuicem discretas esse, ex subiectis rebus exploratũ fieri potest. Nam quemadmodum discrepant inuicem color quidem & sapor, & sonus & odor: pari modo discretos etiã ipsis sensus natura accommodauit. Sonum nanque auditu, saporem gustu, colorem uisu, ac demum odoratu odorem cognoscimus. Aequè quoq; modóq; cõsimili cõuenit reliqua sumere. Cũ ergo discreta fuerint subiecta, discretæ quoq; sint animæ partes qbus illa cognoscimus, opus est. Atqui intellectile & sensile inuicem discreta sunt: atq; hæc anima deprehendimus. Alia igitur pars fuerit quæ circa sensilia, & alia quæ circa intellectilia. Cõsultatrix autẽ, circa sensilia, & in motu, ac prorsus circa ea uersatur quæ ortui interituiq; subdita sunt. Cõsultamus nempe de ijs quæ in deligentibus nobis est & agere, & non agere. circa quæ enim est consiliũ, est & agẽdi simul & nõ agẽdi delectus. at uero ea ipsa, sensilia, & in motu ac trãsmutatione existunt. Quare delectrix animæ portio per rationẽ sensilẽ est. His porrò ad hunc definitis modum, deinceps dicendum fuerit (quãdoquidem de uero nobis est sermo, útq; habeat uerũ, scrutamur: quod quidẽ est sciẽtia, prudentia, intellectus, sapientia, opinio) nimirum circa quid quodque horum uersetur. Scientia itaq; circa scibile est, ídq; quod cum demonstratione rationéq; inuehitur ac colligitur. Prudentia uerò circa ea quæ sub actionem cadunt: in quibus quidem electio est & fuga, ac in nobis collo-

catum agere & non agere. Porrò facientium & agentium haudquaquam idem sunt factile & actile. Nam factiliũ, prӕter effectionem finis superest alius: ueluti in ӕdificatoria (nẽpe quòd domus sit effectrix) ipsius finis prӕter effectionẽ domus est. Pari modo in fabrili, alijsque factiuis euenit. At in ijs quӕ sub actionem cadunt (quӕ practica Grӕci nuncupãt) nullus alius ab actione superest finis: ut prӕter citharӕ modulatum, citharizationémq;, non est alius finis, sed finis ipse est exercitiũ & actio. Circa actionem igitur, & ea quӕ sub actionem cadunt, prudentia existit: circa uero effectionẽ, & ea quӕ in effectione sita sunt, ars. In factilibus enim potius, quàm in ijs quӕ in actione consistunt, est artem exercere. Quocirca prudentia habitus quidam fuerit eorum quӕ in nostra sunt facultate, electiuus atque actiuus: agendi quoque id quod iam expedit, ádque ipsum contendit. Porrò prudentia uirtus est, prout uideri facilè potest: at non scientia. Laudandi siquidem occurrunt prudentes. laus uero uirtutis est. Amplius, cuiusq; sciẽtiӕ uirtus est, at prudentiӕ uirtus non est, sed ut apparet, idipsum quiddã uirtus est. Cӕterùm intellectus circa intellectiliũ ac entiũ principia uersatur. Scientia uero eorum est entium, quӕ cum demonstratione. principia autem demonstrationi non subiacent, indemonstrabiliáque sunt. quare non utique circa principia scientia fuerit, sed intellectus. Sapientia uerò ex scientia & intellectu constituta est. Est nanque sapientia & circa principia, & circa ea quӕ iam ex principijs demonstrantur, circa quӕ nimirum est scientia. Quatenus ergo circa principia, intellectus est ipsa particeps: quatenus uerò circa ea quӕ post principia in demonstratione sunt, particeps est scientiӕ. Proinde non dubium est, quin sapientia ex intellectu &

scientia

ſcientia euadat coalita.atq; adeo conſtat circa ea uerſari,circa quæ intellectus & ſcientia. Opinio ea porrò eſt, qua de ſingulis ambigimus,eáne ita ſint, an ſecus. Cæterùm idém ne ſunt prudentia ac ſapientia,an non? Sapientia nanque circa ea uerſatur,quæ cum demonſtratione,quæque eodem ſemper tenore perdurant.Prudentia neutiquam circa ea ipſa,ſed contrà circa ea quæ mutationi ſubduntur.Dico autem,ueluti ſunt rectum,inflexum,cauum,& talia, quatenus huiuſmodi. At conducentia non eo aguntur modo,ut inter ſe inuicem non permutentur:quinimo tranſmutationem ſubeunt:ac nunc quidem cõgruit hoc,cras uerò ſecus.ac huic quidẽ conducit, illi uerò nõ. ac ſic quidẽ confert,illo uerò modo minimè.Atqui circa ea quæ conducunt,prudentia eſt,non autem ſapientia.non eſt ergo idẽ ſapientia quod prudentia. Vtrum porrò ſit ſapientia uirtus, an non?Per hæc,& ex ipſa nimirum prudẽtia conſpicuum fieri poteſt uirtutem eſſe.Nam ſi prudentia, partis alterius earum partium quæ habent rationem,uirtus eſt:ut antea dictum nobis eſt.Eſt autem prudentia,quàm ſapientia,deterior:quandoquidem circa deteriora uerſatur.Nanque ſapiẽtia circa æternum diuinúmque eſt,ut diximus:prudentia uerò circa id quod homini confert.Si ergo quod deterius,uirtus eſt:cõſentaneum eſt rationi,id quoq; uirtutem eſſe,quod eſt melius. Quare exploratum euadit ſapientiam uirtutem eſſe. Quid autem, & circa quid eſt ſagacitas?Sagacitas circa ea nimirum eſt, quæ ſub actionem cadunt:in quibus ipſa quoque prudẽtia conſiſtit. Siquidem ſagax quodam modo nuncupatur, quatenus cõſultare, rectéq; quippiã decernere ac perſpicere poteſt.Circa paruum autem ac in paruis ſuum ipſius defigitur iudicium.Eſt itaque ſagacitas & ſagax,pars quædam prudentiæ & prudẽtis,

nec absque eo est. neque enim sagacem à prudente seiunxeris.

Perinde uerò ea etiã habere uidentur, quæ in astutia. Nam astutia iuxtà ac astutus, non est quidem neq; prudentia, neque prudẽs. Nempe prudẽs astutus quidem est: atq; adeo ipsi quodã modo prudẽtiæ cooperatur astutia. Sed astutus & is quoq; dicitur, qui malus est: ueluti Mentor astutus sanè esse uidebatur: at nõ erat prudens. Nam prudẽtis prudentiæq; est, optima exoptare, eáq; semper deligere ac agere: astutiæ uerò & astuti est cõsiderare ex quibusnã singulum quodq; eorum quæ sub actionẽ cadunt, fieri potest, eáq; ipsa exquirere ac porrigere. Proindeq; in eiusmodi ac circa hæc uideri potest astutus esse.

Ambigere autem ac admirari potuerit quispiã, quam uidelicet ob causam de moribus deq; ciuili quopiam negocio pertractãtes, de sapientia disseruimus. Nimirũ, ꝙ primum haud aliena fortasse uideri posit eiusce perscrutatio, si ipsa quidẽ uirtus sit, quemadmodũ antea indicauimus. Deinde uerò, ꝙ philosophi forsitan intersit de ijs seorsim considerare, quæcunq; eidẽ inesse subiecto contigerit. ac necessariũ quidem sit, quoniam de ijs quæ in anima disseruimus, de omnibus quoq; dicere. Est uerò in anima, sapientia: unde nec aliã ob causam de anima inuehimus sermones ac pertractamus. Perinde uerò ac se habet astutia ad prudentiã: ita quoq; uideri potest & in cunctis alijs habere uirtutibus. Dico uerò, ueluti ꝙ uirtutes quædã nimirũ sunt singulis insertæ natura, ac ingenitæ, perinde ac quidã rationis expertes instinctus ac appetitiones ad fortia & iusta, ac secũdũ unam quãlibet, atq; ad talia quæ eius generis sunt. Quædam uerò sunt more pariter & electione. Porrò & quæ cum ratione existunt, antea quoq; uirtutes, subinde laudabiles fiunt. Est igitur naturalis uirtus, ipsa quidẽ absq; ratione. paululum

lulũ nempe à ratione ſciungitur, atq; à commendatione deficit: cæterùm rationi electioniq; admota ac coniuncta, perfectam demum efficit uirtutem. atq; ea ſanè ex re rationi obſecundat, & cooperatur: ac nõ eſt prorſus ſine ratione, naturalis ad uirtutem inſtinctus ac appetitio: nec rurſum citra naturalem appetitionẽ ratio atq; electio admodum perficitur ut ſit uirtus. Quapropter non rectè aiebat Socrates cum diceret uirtutes eſſe rationes. Nihil nanq; tũ conferret fortia & iuſta eũ agere, qui non agnoſcit, ac ratione deligit. Atq; adeo ne rectè quidem uirtutem eſſe rationem arbitratus eſt. Verũ qui nũc, melius: quippe ꝙ ſecundum rectã rationem honeſta agere, dicunt hoc eſſe uirtutem. Sed neq; ſic quoque rectè. Nã fieri poteſt ut egerit quiſpiã iuſta nullo quidem delectu, nullaq; honeſtorum cognitione, ſed irrationali adactus appetitione: cæterùm hæc rectè ac ſecundũ rectam egit rationẽ. Dico uero, quoniã perinde egit, atq; recta iuſsiſſet ratio: attamẽ ea ipſa actio ſub laudem non cadit. Verùm præſtat (quemadmodũ noſipſi diſcernimus ac definimus) ad honeſta appetitionẽ eſſe, recta cũ ratione. Talis nempe eſt uirtus, pariter & laudabile. Porrò utrũ ſit prudentia uirtus, an ſecus: cuipiam in dubium reuocari poteſt. Verũ enimuero hinc eſſe uirtutẽ innotuerit. Nã ſi iuſtitia & fortitudo cæteræq; uirtutes eã ob rem laudem emereãtur, ꝙ honeſtorum actiuæ ſint: non dubium eſt quin ipſa etiam prudentia eorum fuerit quæ ſub laudem cadunt, quæque uirtutũ ordini ſunt adſcripta. Nam ad quæ agenda adigit fortitudo: ad eadem ipſa quoque prudentia. In uniuerſum ſiquidem perinde agit fortitudo, atque ipſa præſcribit. Quare ſi fortitudo ea ex re ſub laudẽ cadit, ꝙ ea peragat quæ præſcripſerit prudentia: fuerit nimirũ ipſa quoq; prudẽtia plenè ac perfectè laudabilis

uirtus. Cæterùm ést né prudentia actiua, an non? Licuerit hinc nosse cuiuis, spectando sciẽtias, utputa ædificatoriam. Est nanque in ædificatoria (ut dici nobis assolet) unus quidem aliquis qui architectus nuncupatur. Huic autem gerit morem ac subministrat ædificator, & is quidem effectiuus domus est. Quin etiam architectus quatenus quæ ad domum præscribit, idem quoque author domus est. Idem autem in cunctis alijs effectiuis euenit: in quibus est architectus, & suus minister. Effectiuus proinde cuiuspiam, architectus fuerit: ac eiusce nimirum, cuius & minister, factiuus est. Quòd si perinde in uirtutibus habet, quemadmodum par, rationíque consentaneum est: etiam prudentia actiua fuerit. Virtutes siquidem omnes actiuæ sunt: at prudentia est earundem uelut architectus quidam. Quemadmodum enim ipsa præscripserit: sic sanè uirtutes, & qui secundum uirtutes, agunt. Quoniam igitur uirtutes actiuæ sunt: & ipsa nimirum prudentia actiua fuerit. Vtrum porrò ipsa cunctis ijs imperet, quæ sunt in anima (quẽadmodum apparet) an secus, ambigitur quoque. Nam præstantioribus, ut ipsi sapientiæ, neque uideri, neque imperare fas est. Cæterùm ipsa (aiunt) curam gerit omnium, præscribensque domina est. Verum enimuero forsitan perinde habet, atque in domo procurator. is nanque præest omnibus, dispensátque omnia: at nõdum idem omnibus imperat: uerùm domino ocium parat, ne is in ijs occupatus quæ domui sunt necessaria, impediatur quippiam agere eorum quæ honesta sunt, ac congruunt. sic, modóque consimili prudentia, ceu sapientiæ quidam procurator, ei ocium parat, ut suum ipsius peragat opus, affectus nimirum cohibens ac temperans.

MAGNORVM MORALIVM ARISTOTELIS LIBER II.

De æquitate & æquo. Caput I.

HIS itaque definitis, deinceps de æquitate considerandum est, quidnam sit, & in quibus, & circa quæ. Est porrò æquitas, & æquus, qui iustorum ex lege, imminutiuus ac moderatiuus est. Nam quæ legislator, quòd ad amußim ac accuratè singula definire non posset, non particulatim, sed uniuersaliter dicit: qui in hisce intercedit, ac ea eligit quæ legislator uoluit quidē particulariter definire, non potuit autem: is nimirum æquus ac bonus est. Non est autem is simpliciter imminutiuus iustorum, quippe qui ea non imminuat iusta, quæ natura ac reuera iusta sunt, sed quæ secundum legem, & quæ quòd definiri non possent, prætermisit legislator.

De recta sententia, & recte sentiente. Cap. II.

Recta uerò sententia, ac rectè sentiens, circa ea uersatur, circa quæ æquitas. Nam qui circa iusta, & ea quidem quæ à legislatore, quòd accurate definiri haud potuerint, prætermissa sunt, iudex est omissorum à legislatore, quique cognoscit ac decernit à legislatore prætermissa quæ iusta sunt: certe isce rectè sentiens est. Proinde non est citra æquitatem recta sententia. nempe iudicare, rectè sentientis est: agere uerò, atq; id iuxta iudicium, æqui & boni. εὐγνωμοσύνη εὐγνώμων

De bona consultatione. Cap. III.

εὐβουλία.

Bona autem consultatio est circa quæ prudĕtia. nam circa ea quæ sub actionem cadunt, quæ in electione consistũt ac fuga. Est uerò non sine prudentia. actiua siquidem horum, prudentia existit. At uerò bona consultatio, habitus est, seu dispositio, seu eiusce generis quæpiam affectio, instructiua quidem eorũ quæ inter agibilia fuerint optima & commodissima. Eáque ex re, neque talia, bonæ esse consultationis uideri debĕt, quæ quoquo modo à fortuna eueniũt. Nam quibus deest ratio, quod optimũ fuerit coniectans: neutiquam dixeris cui quippiam quoquo pacto acciderit, consultum, sed fortunatum. Quæ enim citra rationem indicantem recta suboriuntur, prosperitates fortunæ nimirum existunt. Porrò nonne iusti quandoque est ex colloquio & conuersatione cuiq; æquale reddere (dico uerò, utputa tale quenque consequi, ac id circa unumquenq; fieri, qualis utique fuerit) an secus? Nempe istud assentatoris placidíque esse uideri potest. At cuique pro dignitate colloqui ac conuersari, hoc nimirum iusti ac probi interesse omnino uideatur. Hæc quoque ex re ambigere quispiam potuerit. Nam si iniuria afficere, sit quenquã ultro inferre nocumĕtum, scientémq; & cui, & quemadmodum, ac cuius gratia, est uerò nocumentum iniustitiáque in bonis & circa bona: afferẽs proinde iniuriã, & iniustus, cognouerit utique & qualia bona, & qualia mala. At uerò id & talia nosse, prudentis, prudentiæque proprium est. adeóque hoc contingere uidetur absurdum: nẽpe prudentiã maximum quidem bonum, ipsum ceu indiuiduam comitẽ assectari iniustũ. An uerò uideatur ipsa planè prudĕtia indiuidua comes assectari iniustũ? Nec enim scrutatur iniustus, neq; potest discernere ac iudicare quod absolutè bonũ, quódq; secũdum se, ac

ſibi bonum eſt:ſed hallucinatur ac peccat. Atqui intereſt prudentiæ hoc, nimirum poſſe hæc rectè perſpicere, perinde ac in ijs quæ ad medicinam ſpectant, hoc quidem ſimpliciter ſalubre eſſe, illud uerò ſanitatis effectiuum: necnon helleborum, & elaterium, & ſectiones & exuſtiones ſalubres eſſe, ac ſanitatis inductiuas, omnes profectò nouimus, attamen non habemus medicinæ ſciẽtiam. necdum enim particulatim bonum nouimus, prout nouit medicus cuipiam hoc eſſe bonum, & quando, & qualiter affecto: in quo nimirum medicinæ ſcientia conſiſtit. Cognoſcentes ergo quæ ſimpliciter ſunt ſalubria, non ea tamen ex re medicinam habemus, neque nos medicinæ conſequitur ſciẽtia. ſic ſanè ſeſe habet ipſe iniuſtus. Quòd igitur ſimpliciter bonũ eſt & regnum, & principatus, & poteſtas, nouit quidẽ: cæterùm ſi huic bonũ, an ſecus, uel quando, uel quomodo affecto, necdum nouit. atqui eſt hoc in primis prudentiæ. Quare iniuſtum non ipſa aſſectatur prudentia indiuidua comes. Deligit ſiquidem, pro quibus affert iniuriã, ea quæ ſimpliciter bona, non autem quæ ſibi ſunt bona. Nanque opulentia & principatus ſimpliciter bonũ eſt: at ipſi non eſt fortaßis bonum. affluens enim copia rerum, atque ex opulentia ad imperium aſſumptus, complura ſibi & amicis mala faciet, quippe ꝙ non agnoſcet ſuo rectè uti dominatu. Habet & hoc quoque quandam ambiguitatem, ac conſideratione indiget, ſitne uidelicet erga malum iniuria, an ſecus. Nam ſi in offenſione conſiſtit iniuria, & in priuatione bonorum offenſio: neutiquã uideri poteſt offendere. ſiquidem quæ ſibi eſſe bona arbitratur, bona non ſunt. Principatus enim & diuitiæ malo homini, nec potenti hiſce rectè uti, nocumentum inferunt. Si itaque aßidentia, atq; cum adſunt, ipſi nocumentũ afferunt: qui abſtulerit ea, haud-

quaquam uideri potest iniuria afficere. Talis nimirum oratio, præter plurium opinionem, pluribúsque admirabilis esse uidebitur. Cuncti nanque putant se posse dominatu, imperio, ac diuitijs uti: neutiquam recte coniectantes. quod quidem & ex legislatore euadit exploratum. Nam legislator non omnibus committit imperium: sed (ut dictum est) quibus ea adest ætas & facultas, quam opus est imperaturo inexistere: tanquã profecto fieri non possit ut cuique imperare congruat. Quòd si ea ex re indignetur quis, quòd non imperet, uel quòd nullus ipsum sinit gubernare: dixerit quispiam: Neque enim tuæ hoc inest animæ, unde possis & imperare & gubernare. Corpore nempe haud posse sanescere cernimus nonnullos, ea quidem ingerentes, quæ simpliciter bona: sed siquis languidum ac prauè affectum corpus sanare uult, aqua ipsi prius & perparum alimenti suggerendum est. Sic sane prauam habenti animam, ne quippiam mali exerceat, opulẽtia, imperium, & dominatus, ac omnino id genus reliqua adimenda sunt, quanto mobilior mutabiliórq; est anima, quàm corpus. Quemadmodum enim corpore male affecto, commodum erat sic uiuere: ita sane improbam nacto animam congruit ad hunc degere modum, nihil utputa talium habẽtem. Ingerit rursus & hoc talem scrupum: *puta cum non sit ut alia quis egerit, contrariáque agendo incurrerit: quando (inquam) fortia & iusta peregisse poterit? Nam in naturalibus uirtutibus diximus quandam dũtaxat ad honestum appetitionem sine ratione esse oportere: hic uerò est electio in ratione, in eóque consistit qui habet rationem. Quare accidet utrunque dicere pariter adesse.* Porrò *perfecta erit uirtus, quam cum prudentia esse, antea retulimus: at uerò non sine naturali ad honestum appetitione. neque uirtuti hæc*

aduersabitur

aduersabitur, quippe quæ nata est rationi cedere ac subijci: uel ut ipsa præscribit. Proinde ad quod ipsa adegerit ratio, eò inflectitur ac declinat, quæ nimirũ quod melius est, deligit. Nec enim sine prudentia aliæ generantur uirtutes: neq; prudentia citra alias uirtutes euadit perfecta, quinimo affectantes prudentiam, sese mutuò coadiuuant. Cæterùm hæc in dubium reuocauerit quispiam, nunquid ita in uirtutibus se habeat, quemadmodum in reliquis bonis, quæ externa, quæque corporis existunt. Hæc nanque cum fuerint eximia, deteriores efficiunt: ut corrogata ingẽs opum affluentia, fastuosos ac insuaues efficit. Eodem quoque modo in alijs bonis, puta dominatu, honore, pulchritudine, magnitudine. Nunquid igitur & in uirtute ita habet, ut si cuipiam iustitia uel fortitudo exuberãs fuerit, is fiat deterior? an non id dicit quis? Verũtamen à uirtute quidem gignitur honor: atqui honor cum ingẽs fuerit, deteriores facit. Proinde nõ dubium est quin dicat, uirtutem, cum incremẽtum sumpserit, deteriores efficere. honoris nempe causa est uirtus: atque adeo hæc deteriores fecerit, cum euaserit maior. An id neutiquam uerum? nam quanquam uirtutis complura alia sunt opera, ut certè sunt: tamen inter ea potissimùm sua refert, hisce bonis talibúsque adscitis ac coràm factis rectè uti posse. Nam qui habetur probus, si aduentante sibi uel honore uel ingẽti dominatu, non eisdem uti nouerit, neutiquam fuerit probus. nec enim honor neque dominatus probum fecerit deteriorem, ut neque uirtus. In totum uerò, quoniam nobis à principio definitum est uirtutes esse medietates, ac quæ magis uirtus, & magis esse medietatem: constat uirtutem non deteriores, cum incrementum sumpserit, efficere, sed meliores. siquidem medietas inter defectum excessúmque affectuum erat.

mediocritas. At de his hactenus.

De continentia & incontinentia. Cap. IIII.

DEinceps alio sumpto principio, de continentia & incontinentia dicamus opus est. Nam quemadmodum hæc non nisi absurdè & impropriè uirtus sunt ac uitium: ita quoque futuros de his sermones, absurdos fieri necesse est. Nec enim hæc uirtus cæteris par est. Nam in alijs eodem impellunt tam ratio quàm affectus: nec inuicem aduersantur. At in hac se inuicem oppugnant ratio & affectus. Sunt porrò in anima, per quæ mali esse dicimur, tria, nempe uitium, incontinentia, feritas. De uitio autem ac uirtute, quid sit, & in quibus: dictum nobis superius est. nunc ergo de incontinentia & feritate dicendum fuerit.

De feritate, & uirtute ei opposita. Cap. V.

ESt autem feritas, quoddam exuberans uitium. Quādo enim quempiam omnino prauum intuemur, non quidem hominem, sed feram esse dicimus, perinde quasi sit quoddam uitium ipsa feritas. Huic autē uirtus opposita, nominis expers est: quæ quidem supra hominem tanquam heroica quædam ac diuina existit. Ea certè ex re est hæc uirtus nominis expers, quòd dei nulla sit uirtus. præstantior siquidem omni uirtute deus: nec est per uirtutem studiosus, quandoquidem ita uirtus deo melior foret. proinde nomine caret ea uirtus, quæ feritatis uitio opposita est. Nempe uult tali uitio ea aduersari uirtus, quæ diuina, quæque supra hominē. Perinde enim ac feritas uitium est supra hominem: sic & quæ huic opposita est uirtus.

De in-

De incontinentia & continentia. Cap. VI.

Porrò de incõtinentia & continẽtia expromendum primùm qui surrepant scrupi, & quæ circa eos addubitẽtur sermones, qui manifestis aduersantur, ut ex dubijs orationibus ea ipsa considerando & exquirẽdo, demũ ueritatem super his (quantum ipsi possumus) intueri satagamus. Prõptum siquidẽ hoc modo fuerit quod uerũ est perspicere. Senex igitur Socrates adimebat prorsus ac negabat incõtinentiam esse, nimirũ dicens neminem esse qui mala, sciens esse mala, deligere queat. Atqui incontinẽs uidetur sciẽs mala esse, nihilo minus ea deligere, uerùm impulsus à passione. Hac sanè ratione arbitratus est incontinentiam nõ esse. at nequaquã rectè. Absurdũ nanq; est hac ratione persuasos id auferre quod persuasibiliter fit. Incontinentes enim sunt homines, ijdémq; sciẽtes mala esse, qui eadem nihilo minus perpetrãt. Cũ ergo sit incõtinentia: nũquid incontinẽs quandam habet scientiã qua scrutetur exquirátq; mala? Verùm neque id rursum apparuerit. nã absurdum est, potẽtissimũ, idémq; eorum quæ in nobis sunt, stabilissimum, ab aliquo euinci. Atqui scientia, omnium quæ in nobis, stabilissima, miniméq; uiolẽtiæ obnoxia est. proinde hæc rursum aduersatur ratio quo minus credatur ipsi inesse scientia. Cæterùm nunquid scientia quidem non est, sed opinio? At si habet incontinens opinonẽ: uituperandus neutiquã fuerit. Nam si quippiam mali, non accuratè præuidẽs, planéque sciens, sed opinatus agat: huic ueniam quis attribuerit, quòd uoluptate adactus delegerit mala agere, non admodũ planéq; agnoscẽs mala esse, sed opinatus. At uerò quos uenia dignos esse cẽsemus, eos neutiquã reprehendimus. quare incontinens si quidẽ opinionem habet, non occurrit uituperan-

dus. Atqui uituperandus est. Sanè huiusmodi rationes ambiguitatem ingerunt. Siquidem alij dixerunt non esse scientiam: atque hac ex re quodpiam absurdum euenit. Alij uerò ne opinionem quoq;: qui rursum quodpiam cõsequi absurdũ fecerunt.

Verùm etiã hæc in dubium quis adduxerit, nimirũ cum temperans, cõtinens quoque esse uideatur: utrúmne tẽperanti suggesserit quidpiã uehementes cupiditates? N*am si continens fuerit, ipsum quoque uehementibus agi cupiditatibus oportebit.* N*ec enim continentẽ dixeris quisquis moderatis imperat cupiditatibus. Quòd si uehementes nõ habuerit cupiditates, neque etiam temperans fuerit. nec enim fuerit temperans hic, nimirum qui nec cõcupiscit, neque ulla agitur passione. Ambiguitatem quoque talia habent. nam ex hisce rationibus accidit incontinentem quandoque fore laudabilem, & uituperabilem continentem. Esto nanque (ait) quispiam consideratione hallucinatus, ac honesta ei ratiocinanti uideantur mala esse, cupiditate uerò agatur ad honesta. hunc ergo agere non sinet ratio: & cupiditate adactus aget. talis nimirum erit incontinens. Aget igitur honesta, quandoquidem cupiditas in talia impellit: at prohibebit ratio, quippe qui ratiocinio honestorum hallucinetur. Is igitur incontinens quidem erit, uerũtamen laudabilis. quatenus enim peragit honesta, laudãdus occurrit. Absurdum id profectò euenit. Rursus quoque hallucinetur ratiocinio, eíque appareant bona, minimè bona esse, cæterùm cupiditate ad honesta adducatur. Continens nimirum cõcupiscit quidem: at non hæc agit ob rationem. Qui igitur ratiocinio honestorum hallucinatur, prohibebitur ea agere quæ concupiscit. prohibebitur ergo honesta agere: quoniam quidem ad hæc illexit cupiditas. Atqui non peragens honesta, cum ea agere est operæ-*

operæpretium: uituperandus uenit. proinde continens quandoque uituperandus fuerit. Absurdum ſanè & ſic etiam contingit. Vtrum porrò incontinentia & incontinẽs, in omnibus ſit, & circa omnia, puta circa pecunias, & honorem, & iram, & gloriam (circa hæc enim uidentur incontinentes eſſe) an non? Verùm circa quid definitum uerſetur incontinentia, addubitauerit quiſpiam. Quæ igitur ſcrupum & ambiguitatem iniiciunt, ea ipſa ſunt. Verùm enimuero eſt operæprecium dubitationes diluere. Ac primùm quidem ea diluenda eſt, quæ de ſcientia. Abſurdum nãque eſſe uidebatur, ſcientiam ab eo qui habet, abiici, aut intercidere. At uerò eadem quoque de opinione fuerit ratio. nihil ſiquidem refert, ſitne opinio, an ſciẽtia. Nam ſi uehemens fuerit opinio, quatenus ſtabilis & indiſſuaſibilis, nihil à ſcientia diſcrepabit, per habitam opinionem credere ita habere, quemadmodum opinantur: ueluti Heraclitus Epheſius hoc genus opinionem de iis quæ ipſi uidebantur, habuit. Porrò nihil abſurdi fuerit, incontinentem, nec ſi ſcientiam habuerit, neque ſi (qualem nuper recenſuimus) opinionem, quippiam mali committere. Nam ſcire, duobus dicitur modis. Vno quidem modo ſcire perinde eſt ac ſcientiam habere. ſiquidem tunc ſcire quempiam dicimus, cum ſcientiam habuerit. Altero uerò modo, idem quod ipſam iam exercere ſciẽtiam. Incontinens itaque, honeſtorum habet ſcientiam, ſed ea non operatur. Cum igitur hac non exerceatur ſcientia, nihil tum prohibet eum qui ſcientiam habet, improbá agere. Perinde enim eſt, ac in dormientibus. Hi nanque cum habeant ſcientiam, multa tamen in ſomno moleſta & perpetrant & patiuntur. neque enim in ipſo exercetur ſciẽtia. Pari modo de incontinente dicendum. nam non ſecus ac in dormiente conſtat, per ſcien-

tiam nec ipse quoque operatur. Ac hunc sanè in modum dubitatio soluitur. Dubitabatur enim, nunquid incontinens suam interim eijceret scientiam, aut ea intercideret. absurdum porrò utrunque esse apparet. Verùm exinde rursum conspicuum fieri potest. Nam quemadmodum in Analyticis diximus, ex duabus propositionibus confici syllogismum contingit: ac earum primam, uniuersalem esse: secundam uerò, subtus ipsam, & particularem: ueluti scire omnem hominem febricitantem sanum facere: hic autem febricitat: scire igitur & hunc sanum facere. Atqui fieri potest ut hic uniuersali scientia sciat: ea uerò quæ secundum partem est, nequaquam. Accidit igitur peccatum in eo fieri qui habet scientiã, atque hic: puta omnem febricitantem sanum facere. si quidem is febricitat, & non noui. Pari itaque modo idem continget error in incontinente, qui habeat scientiam. Contingit enim incontinẽtem, uniuersalem habere scientiã, quòd talia sint improba ac noxia: nec tamen hæc ipsa improba esse, particulatim nosse. Quare sic habens scientiam, aberrabit: quippe qui uniuersalem habeat, & non eam quæ secundum partem. Nihil proinde absurdum sic fuerit, incontinentem qui habeat scientiam, mali aliquid perpetrare. Est enim ut in ebrijs: nam ebrij, cùm ab ipsis recesserit ebrietas, ijdem rursum sunt, nec excidit ipsorum ratio neque scientia, cæterùm tum hæc sopiuit ac obtinuit ebrietas, à qua demum soluti, ijdem rursum prodeunt, neque ipsis deperijt ratio aut scientia. Aequè quoque res in incõtinente sese habet. Nanque paßio præponderans ac obtinens, ratiocinium quiescere facit: at soluta paßione, perinde ac ebrietate, idem rursus existit. Porrò alia erat de incontinente ratio quæ scrupum suggerebat, perinde quasi foret incontinens interdum laudandus:

continens

continens contrà uituperandus. Verùm id nequaquam accidit. nam nec est continens, neque incontinens, qui ratione falsus hallucinatúsque est: sed qui ad modicum rectam habet rationem, quà tam bona quàm mala discernit. Ac incōtinens quidem, qui eiusmodi ratione non est persuasus: continens uerò, qui persuasus est, nec ab ipsis agitur cupiditatibus. Neque enim cui non uidetur turpe esse, patrem cædere, concupiscenti uerò cædere: qui ab hoc abstinet, eatenùs continens est. Quòd si non est in hisce nec continentia, neque incontinentia: non fuerit proinde neque laudabilis incontinentia, neque contrà uituperabilis continentia, quemadmodum uidebatur. Sunt porrò incontinentiarum aliæ quidem ob morbos, aliæ uerò natura: ut ob morbos quidem eæ sunt, quòd sint nimirum quidam qui euellunt capillos, ac manducant. Quòd si quispiam huic imperet uoluptati, non proinde laudandus accedit. Neque ergo uituperandus erat, qui non imperabat: aut non admodum sanè. Natura uerò, ueluti aiunt olim filium in iudicio accusatum quòd patrem cecidisset, respondisse nimirum, quòd is quoque suum ipsius cecidisset patrem, aufugisséq; debuisset. Iudicibus siquidem naturale hoc crimen esse uisum est. Quòd si quis à cædendo patre se continuerit, non confestim laudandus accedit. nec hasce reuera nunc uestigamus incontinentias, neque item continentias: sed per quas simpliciter uituperabiles laudabilésque dicimur. Cæterùm bonorum quædam sunt externa, quod genus sunt diuitiæ, dominatus, honor, amici, gloria. Quædam uerò necessaria, eáque circa corpus sunt: ut tactus & gustus. Qui ergo circa hæc incontinens, is incontinens simpliciter esse uidetur: ac quòd ad corpus pertineant: circa hæc, ea quoque, quam inquirimus incontinentiam, esse uidebitur.

Deinde uerò dubitabatur, quidnam demum sit, & circa quid, incontinentia. Circa honorem itaque non est simpliciter incontinens. nam modo quodam laudatur qui circa honorem incontinens, quippe qui amans honoris quispiam sit. In totum autem dicimus in talibus incontinentem, adijcientes, circa honorem, aut gloriam, aut iram, incontinentem esse. Verùm simpliciter incontinenti non ea adijcimus circa quæ, quòd ei adesse perspicuum sit sine appositione, circa quæ uersatur. est enim simpliciter incontinens circa uoluptates & tristitias corporales. Quòd porrò circa hæc sit incontinentia, exinde euadit conspicuum. Nam cùm incontinens uituperabilis, subiecta esse oportet uituperabilia. Atqui honor & gloria, & dominatus & pecuniæ, & circa quæcunque talia dicũtur incontinentes, sub uituperationem non cadunt. contrà uerò corporales uoluptates, uituperãdæ occurrunt. Quare non immeritò, qui circa has magis quàm decẽs sit uersatur, incontinẽs is prorsus dicitur. Verùm cum incontinentiarũ quæ circa alia uersari dicuntur, maximè uituperanda ea occurrat, quæ circa iram: uituperãdáne magis quæ circa iram, an quæ circa uoluptates? Est nimirũ quæ circa iram incontinentia, persimilis pueris ad ministrandũ promptis. Hi nãque, cũ dixerit dominus, da mihi: prõptitudine erecti, antequam audierint quid sit suggerẽdum, suggerunt, ac in ipsa exhibitione aberrant. Sæpe enim liber fuit exhibendus: pennam dedere. Huic simile passus est iræ incontinens. Cum primùm enim audierit uerbum, quòd quis intulit iniuriam: impellit ira ad ulciscendum, neutiquam patiens audire, expediátne, an non, aut quòd non ita uehemẽter. Talis igitur ad iràm concitatio, si uidetur incontinentia esse iræ, non admodum reprehendenda est. At ad uoluptatem cõcitatio, sub

uituperationem

uituperationem cadit. Habet ſiquidem aduerſum ſe diſsidium, ac in ipſa, controuerſia fit, ob rationem quæ auertit diſſuadét-que ut non agat: at nihilo minus præter ratione͂ agit. Proinde impenſius uituperanda uenit, quàm quæ per iram eſt incontinentia. nam quæ per iram incontinentia, triſtitia eſt: quandoquidem nemo ſucce͂ſens non triſtetur. At uerò quæ per cupiditatem, cum uoluptate. magis ergo reprehe͂denda. Neque enim quæ per uoluptate͂ eſt incontinentia, ab iniuria abeſſe uidetur.

Vtrum uerò continentia ac tolera͂tia idem ſunt, an non? Nanque continentia circa uoluptates eſt: ac continens, qui dominatur uoluptatibus. Tolerantia uerò circa dolores. nam qui tolerat ac ſuffert triſtitias, is nimirum tolerans exiſtit. Rurſus nec idem ſunt incontinentia & mollities. nam mollities & mollis eſt, qui non ſuffert labores, non quidem omnes, ſed quos alius aliquis neceſſariò duxerit ſuſtinendos. Incontinens contrà, qui uoluptates ſufferre nequit, ſed emolleſcit, ac ab eis agitur.

Ad hæc, quidam rurſus eſt intemperans appellatus. utrum ergo intemperans ſit incontinens, ac incontinens intemperans; an ſecus? Nempe intemperans eiuſmodi eſt, ut quæ agit, eadem & optima & commodiſsima eſſe arbitretur: nec ullam habet rationem, quæ ſibi probatis uoluptatibus aduerſetur. At incontine͂s rationem habet, quæ ei aduerſatur in ijs ad quæ cupiditas adigit. Vter aute͂ curatu facilior, intemperans, an incontinens? Sic certè non ipſe uidebitur incontine͂s, ſed intemperans curatu facilior. Nã ſi ei affuerit ratio, quæ mala eſſe doceat, neutiquam aget. At incontinenti adeſt ratio, & nihilo minus agit mala. idcirco eiuſmodi incurabilis eſſe uideatur. Cæterùm uter deterius diſponitur, íſne cui nihil ineſt boni: cuique quæ aſſunt, per ſe? an nõ dubium eſt quin ille cui id quo-

que quod honoratius, perperam affectum est? Atqui incontinens bonam habet rationem: ut quæ sit recta. intemperans uerò ea ex re non habet, quòd est sua ratio cuiusque principium ac causa. Proinde incontinentis principium, quod est honorabilißimum, bene affectum est. perperam contrà, quod intemperantis. atque adeo deterior fuerit utique intemperãs, quàm incontinens. Amplius, iuxta quod antea de feritate, quodnam sit uitium, diximus: non est ipsam in fera spectare, sed in homine. nam feritatis nomen, exuberanti ac insigni uitio adscribitur. Sed quamobrem in fera nihil tale est? an quia non sit in fera principium improbum? est ergo principium, ratio. Quoniam id quoque ambigitur, quisnam plura mala committere potuerit, leóne, an Dionysius, uel Phalaris, uel Clearchus, uel alius aliquis eius generis flagitiosorum: an non dubium sit quin illi? Nanque principium improbum inexistens, maiora facinora coniectat ac suggerit. at in fera nullum prorsus est principium. Quocirca intemperanti improbum adest principium. nam quà ea perpetrat quæ sunt improba, sibi improba consentit ratio, eíque ea fieri debere uisuntur. At in incontinente sanum est principium. proinde fuerit incontinens intemperante melior. Cæterùm sunt rursus duæ incontinentiæ species. Vna quidem anteuertens & improuida, ac quæ repentè fit: ut cum speciosam uiderimus mulierem, confestim quapiam afficimur paßione: ac à paßione quædam obrepit concitatio ac appetitio ad eorum quippiam peragendum, quæ fortasse non congruunt. Altera uerò uelut infirmitas quædam, quæ cum auertente dissuadentéque ratione existit. Prior igitur non admodum incessenda uidetur: quippe quòd in ipsis quoq; probis talis surrepat, nimirum in calidis & ingenio-

ingeniosis. At altera in frigidis, & iis qui sunt atræ bilis, quos Græci melancholicos nuncupant. ac uerò tales sub reprehensionem cadunt. Adhuc autem contingit ut nihil patiatur, ratione præassumens id, nimirum quoniam occurret mulier speciosa, aspectúque grata, opus esse proinde ut seipsum infrenet ac cohibeat. Hac profectò ratione præassumpta muniens sese is, qui ex recenti surreptitiáque imaginatione incontinens est: neque commouebitur, neque quippiam turpe perpetrabit. At qui ratione cognoscens non id expedire congruúmque esse, ad uoluptatem tamen inflectitur ac emollescit: talis nimirum impensius uituperandus accedit. Neque enim probus in hunc unquam modum fiet incontinens. ratio nanque præueniens, nequaquam id permiserit, quippe quòd ipsa in ipso probo imperat: cui neutiquam paret incontinens: sed uoluptati deditur, & effœminatur, ac imbecillis quodam modo fit. Vtrum porrò temperans sit continens, in superioribus ambiguum fecimus: at nunc id asserimus. Nempe temperans etiam continens existit. Nam continens non solùm is est, qui quæ sibi insunt cupiditates, per rationem cohibet: uerùm etiam talis, ut cum nullæ adsunt cupiditates, perinde se ad infrenandum habeat, atque si suborirentur ac surreperent. Atquí temperans est, qui nullas habet cupiditates improbas, ac rectam circa hæc rationem gerit. Continens uerò, qui cupiditates habens malas, rectam quoque circa hæc habet rationem. Quare continens assectabitur temperantem, atque erit temperans continens. Enimuero temperans nulla afficitur passione: at continens afficitur quidem, atque has cohibet: aut affici potest. Neutrum porrò horum ipsi congruit temperanti: atque adeo non est continens, temperans.

Ad hæc, utrum intemperans incontinens sit, aut cõtrà incontinens intemperans, an neuter alterum assectetur? Nam incontinens is est, cuius ratio passiones oppugnat. at intemperans, nequaquã talis, uerùm qui improba agit, simúlque consentientem habet rationem. Non itaque intemperans qualis incontinens: neque incontinens qualis intemperans. Amplius improbior incontinente est intemperans. Curatu nanque difficiliora quæ naturalia, quàm quæ ex consuetudine aggenita sunt. Eam nempe ob rem cõsuetudo apparet ualida esse, quòd in naturam deducta sit. Intemperãs igitur ipse talis est, qualis malus quispiam natura existeret. atq; adeo per hoc & ab hoc in ipso improba est ratio. At incontinẽs neutiquam talis. nec enim, quum ipse talis sit, quæ in ipso est ratio, proba est. oportuit siquidem ipsam improbã esse, si talis erat natura, qualis improbus. Incõtinens igitur consuetudine malus esse uidetur, intemperans uerò natura. Curatu enim difficilior intemperans, quippe quòd consuetudo consuetudine alia expellatur: at natura à nullo extrudi potest. Cum uerò incontinẽs talis quidam sit, ut norit, nec decipiatur ratione, sitque prudẽs eiusmodi, ut recta ratione singula perpendat: utrum contingat prudentem, incontinentem esse, an non? ambigere enim potuerit quispiam ob ea quæ dicta sunt. Verùm si quæ à nobis antea indicata sunt, consectemur: non erit prudens incontinens. Diximus nanque prudentem esse, non cui recta duntaxat inest ratio, sed qui ea quoque agit, quæ per rationem uidentur optima. adeóque incontinens non fuerit prudens, cæterùm talis astutus quidem est. etenim astutum & prudentem, quòd inter se differant, superius discreuimus: nẽpe quòd circa eadem quidem sint, uerùm hic quidem quæ opus est, agit: ille uerò neutiquam talium

actiuus euadit. Astutum proinde incontinentem esse contingit, quandoquidem nec sit actiuus circa quæ & astutus. At uero prudentem incontinentem esse non contingit.

De uoluptate. Cap. VII.

DEinceps de uoluptate dicendum fuerit: quandoquidem de felicitate nobis agitur sermo. Nam *felicitatem arbitrantur omnes aut uoluptatem esse, uiuereq́; uoluptuose, aut nō sine uoluptate. Siquidem & qui uoluptati infensi sunt, nec putant inter bona enumerandam esse: eam tamen tristitiæ expertem constituunt. At uerò quod citra tristitiam est, proximum uoluptati euadit. quapropter de uoluptate disserendum est: cæterùm non eam solùm ob rem, quòd alij putent oportere: uerùm etiam quòd nobis de uoluptate dicere operæpreciū sit, quādoquidem de felicitate nobis est sermo.* Felicitatem *autem definiuimus planéque diximus uirtutis actionem esse in uita perfecta. atqui uirtus circa uoluptatem dolorémque uersatur.* Postquàm *itaque nō est felicitas absque uoluptate: primū proinde dicamus opus est, quænam afferant ij qui non arbitrantur uoluptatē in parte bonorum collocandam.* Enimuero *aiunt primò, uoluptatem generationem esse: atqui generationem, imperfectum quiddam esse: cæterùm bonum, neutiquam imperfecti locum obtinere. Secundo loco quasdam aiunt uoluptates improbas esse, at bonum nequaquam in malitia defigi ac esse.* Rursus, *quòd gignatur in omnibus.* Nam *& malo & probo, & feræ & cicuri, omniq́; animali defertur.* Atqui *bonū, impermixtū malis, ac ne quidem multum commune existit.* Deinde *quòd non optimum, uoluptas: at bonum, optimum.* Demum, *quòd honesta agendi sit*

impedimentum. at quod honesta agere prohibet, neutiquã bonum fuerit. Principiò itaque primæ rationi, ipsíque occurrẽdum generationi fuerit, ac tentandum hanc rationem diluere, quòd neutiquam uera sit. Primùm nanque non est omnis uoluptas generatio. nã quæ ab inspectãdo gignitur uoluptas, generatio non est: nec itẽ quæ ab audiendo & olfaciendo. Neque enim ex indigentia fit, quemadmodũ in alijs, ueluti ex comedẽdo & bibendo. Hæ nanque ex indigentia & redundantia fiũt: puta uel implẽdo quod minus est ac deficit, uel excessui detrahendo: ideoq; generatio esse uidetur. Atqui indigẽtia & redũdantia, dolor est, igitur inibi dolor, ubi generatio uoluptatis. at in spectando, & audiẽdo, ac olfaciendo, nõ est ut dolor antecedere debeat. nemo siquidem inspiciẽdo delectatus, aut olfaciẽdo, antea tristatus est. Aequè quoque contingit in intelligentia quippiam speculantem delectari citra præeuntẽ tristitiã: atq; adeò quædam fuerit uoluptas, quæ generatio non est. Quòd si uoluptas (quẽadmodũ eorum dicit ratio) ea ex re nõ est bonũ, quia generatio, quædã autẽ sit uoluptas quæ nõ est generatio: ea nimirũ fuerit bonũ. In totũ autẽ nulla est uoluptas generatio. neq; enĩ eæ uoluptates quæ à comedẽdo et bibẽdo fiũt, generationes sunt. uerũ aberrãt qui has uoluptates generationes esse asseuerant. Putãt nanq;, quoniã oblatis ingẽstisq; rebus gignitur uoluptas, ea de causa generationem esse. at uero haudquaquã est. Enimuero cum quædã sit portio animæ, qua simul ac ea offerũtur quibus est nobis opus, oblectamur, eáq; animæ portio & operetur & moueatur, motus uerò huius iuxtà ac actio uoluptas sit: quoniã ea animæ portio cũ huiusmodi oblatione iniectioneq; agit, nimirũ ob eã ipsius actionẽ arbitrãtur uoluptatẽ generationẽ esse: quippe ꝙ huiusmodi oblatio ꝑspi-

cua

cua sit: at ea animæ portio nō satis cognita: pinde sanè ac si quis hominem putet esse corpus, quòd hoc sub sensum cadat, anima uero minimé. cæterùm anima nihilo minus est. Idem quoque in hoc euenit. nanque est pars quædam animæ qua oblectamur: quæ simul ac res offerūtur, agit. proinde nulla uoluptas est generatio. Sed neq; ea quoq; existit, quàm dicūt, in naturam sensilē instauratio. Iis nanq; qui non instaurantur, ac in naturā restituuntur, cōpetit uoluptas. Nā instaurari, est naturæ indigētiam, atq; id quod naturæ deerat, expleri. Atqui euenit (quēadmodum mox diximus) ut nullius indiga oblectentur: quippe ꝙ indigentia tristitia quædā sit: ac citra tristitiam diximus oblectationem fieri. Quare non fuerit utiq; uoluptas, indigentiæ instauratio: quādoquidē in talibus uoluptatibus quod indigeat sit nihil. Quocirca si ea ex re ꝙ generatio, apparebat uoluptas nō esse bonum, nulla uero sit uoluptas generatio: fuerit nimirū uoluptas bonum. Deinde uero aiunt non omnē uoluptatē bonum esse: at cognouerit ea quoq; de re quispiā hoc modo. Nam quia bonū dicimus in cunctis esse prædicamētis, nempe in substantia, in ad aliquid, in quanto, in quando, ac prorsus in omnibus: illud quoq; non dubium est, quin per omnia uoluptas quædam comitetur. Proinde quia in omnibus prædicamētis est bonum, etiam uoluptas fuerit bonum. Quocirca quoniam in quibus bona, in eisdem sit uoluptas, necnon à bonis prodeat uoluptas: planè fuerit quæque uoluptas bonum. Simul ex hoc etiam cōstat diuersas esse uoluptatum species. siquidem discreta sunt prædicamenta in quibus existunt uoluptates. Nec enim perinde est ac in scientijs, ut in grammatica, uel quauis alia. Nam si quis habeat splendidè grammaticam: perinde quidem afficietur sub hac grammatica grammaticus, atque quiuis alius

grammaticam habens. nec sunt duæ differentes grammaticæ, ea quæ in splendido, & ea quæ in obscuro. At in uoluptate non ita. nam quæ ex ebrietate est uoluptas, & quæ ex coitu: non eodem modo afficiunt. quam ob rem specie differentes esse uideri possunt uoluptates. Cæterùm quòd malæ sint nonnullæ uoluptates, eam quoque ob rem nõ illis uidebatur uoluptas bonum esse. Porrò tale, ac talis existimatio, haudquaquam est uoluptatis propria: uerùm etiam in natura ac scientia idem uidere est. Nam est & natura mala, sicut uermium ac crabronum, ac prorsus uilium animalium: nec tamen ob hoc natura malorũ est. Eodem quoque modo fuerint & scientiæ malæ: quod genus mechanicæ: nec tamen eam ob rem malum est scientia: sed genere bonum tam scientia quàm natura. Nam quemadmodum statuarius spectandus non est qualis quispiam sit, ex ijs quæ acciderit perperam ipsum fecisse, sed ex ijs quæ bene: ita sanè nec scientiam, nec naturam, neque aliud aliquod cuiuspiam effectiuum, ex malis, sed contrà ex bonis spectare conuenit. Pari itaque modo est & genere bonum uoluptas. Quòd uerò sint & malæ uoluptates, neque nos latet. nam sunt etiam diuersæ naturæ animalium: puta bona & mala: ueluti hominis quidẽ, bona: lupi uero, aut cuiuspiam alterius feræ, mala. Aequè quoque altera est natura equi & hominis: necnon asini & canis. Porrò uoluptas constitutio est ex eo quod præter naturam, in suam cuiusque naturam. quare & hoc fuerit utique iucundissimum improbæ naturæ. Atqui improbæ naturæ, improba uoluptas. neque enim est eadem equo, quæ homini: neque itidem alijs. sed quoniam diuersæ naturæ, sunt diuersæ quoque uoluptates. Nam uoluptas, instauratio erat: instaurationémque aiunt in naturam constitutionem esse. Quam ob rem malæ naturæ,

turæ, mala constitutio: probæ uero, proba. Cæterùm qui dicunt uoluptatem non probam esse, idem patiuntur, atque qui non agnoscentes nectar, arbitrantur deos uinum bibere, & eo nihil esse suauius. hoc uero ob ignorantiam patiuntur. Aequè itidem afficiuntur qui omnes uoluptates generationes esse dicunt, & neutiquam bonum. Nam quòd alias uoluptates ignorent præter eas quæ corporis sunt, quas quidem perspiciant generationes esse, nec bonas: omnino non opinantur uoluptatem bonum esse. Cum itaque uoluptas sit naturæ quæ constituitur, pariter & naturæ quæ constituit: ueluti eius quæ constituitur, eæ quidem expletiones quæ ex indigentia: eius uero quæ constituit, quæ à uisu & ab auditu, ac id genus alijs prodeunt, meliores sanè fuerint constituentis naturæ actiones. Atqui uoluptates secūdum utrosque dictæ modos, actiones sunt. Proinde dubium non est, quin quæ à uisu sunt uoluptates, & ab auditu, & ab intelligētia, meliores fuerint: quandoquidem corporeæ ab expletione procreentur. Rursus id dicebatur, nempe uoluptatem ne bonum quidem esse: quandoquidem quod in omnibus ac cunctis commune est, nec bonum sit. Porrò hoc ipsum in ambitioso, et in ambitione, amplius proprium euadit. Nam ambitiosus est qui solus gloriam uult habere, eóque cæteros præcellere. Voluptatem ergo, si bonum esse debeat, talémne esse oportet, an non? At uerò cōtrario modo ob id bonum esse uideri potest, quòd cuncta eam expetant. quippe nata sunt singula bonum expetere. Quam ob rem si singula uoluptatem affectēnt, genere bonum fuerit uoluptas. Præterea quòd sit impedimentum uoluptas, negauerunt quoque eandem bonum esse. Verùm impedimentum asserunt esse, quòd ipsis sic ea ex re uideatur, quòd non rectè expendant. Nec enim ea est

impedimentum uoluptas, quæ à re quæ peragitur, surgit, siqua sit alia impedimentũ, ueluti quæ ab ebrietate, agendi est impedimentũ. cæterùm hoc etiam modo scientia scientiæ impedimẽtum fuerit, nam non est ut simul utranque exerceas. Cæterùm propter quid non est bonum scientia, si eam quæ à sciẽtia est uoluptatem excitarit? & utrum impedimentum sit, an non, sed multo magis aget? siquidem uoluptas ab eo quod fit, excitata, ad magis agẽdum impellet, necnõ ut ea peragat studiosius quæ secundum uirtutem, eadémque agat delectabiliter. At nõ multo magis aget secundum actionẽ? Quòd si oblectatus agat, probus erit. sin contrà tristatus honesta operetur, non probus. dolor nempe in ijs est, quæ ex necessitate. Proinde si dolet cuiquã se honesta agere, coactus agit. at qui ex necessitate honesta agit, non probus. Veruntamen non est ut non tristetur uel oblectetur ea agendo quæ secũdum uirtutem. nec enim medium ullum est. quid ita? nimirum quòd uirtus in passione cõsistat: passio autem in dolore & uoluptate. atque ea in re medium nullum occurrit. Non dubium igitur quin uirtus cum dolore uel uoluptate sit. Porrò si dolens quispiam honesta agit, non probus. proinde nõ fuerit uirtus cum dolore. cum uoluptate ergo. Itaque non solùm non est impedimentum uoluptas, uerùm etiã ad agendum exhortatur. In totum uerò non contingit citra uoluptatem esse quæ ab ipsa procreantur. Cæterùm alia erat oratio, quòd nulla scientia efficit uoluptatem. at ne id quidem uerum existit. Conuiuiorum nanque structores, & coronarum, necnon unguentarij, uoluptatis sunt effectores. Cæterùm alijs scientijs non est uoluptas tanquam finis, sed sunt cum uoluptate, nec citra uoluptatem. Est igitur scientia, uoluptatis effectrix. Postremò aliter rursus dicebatur, quòd non optimum.

mum. Verùm hoc modo atque hac ratione singulas ieris perditum ūirtutes. Siquidem si fortitudo optimum non est, nūquid igitur ob hoc non bonum? an id absurdum? Identidem *&* *in alijs. Neque ergo uoluptas ob id non est bonum, quòd non optimum.* Dubitauerit *porrò idipsum quispiam, per uirtutes transiens. Nam quòd ratio quandoque imperet paßionibus (de continente enim hoc diximus) & è conuerso paßiones imperent quoque rationi (ut in incontinentibus euenit) notum est. cum ergo pars animæ rationis expers habens in se uitium, imperet rationi probè affectæ (talis siquidem incontinens) necnon & ratio improba similiter, eapropter ipsa quoque imperabit bene affectis paßionibus, suámque obtinentibus uirtutem. hoc uero si ita, euenerit uirtute abuti.* Improba *nanque affectus ratione, ac uirtute utens, ipsa nimirum male utetur.* Hoc *utique absurdum emergere uideri potest.* Porrò *huic dubitationi occurrere, eámque diluere promptum est ex ijs quæ à nobis antea de uirtute dicta sunt.* Nam *tum uirtutem esse diximus, cum ratio bene affecta, paßionibus suam uirtutem probè obtinentibus cōmensurata fuerit, & paßiones ipsi rationi. Sic enim disposita inuicem consentient: atque adeò ratio semper id præscribet, quod optimum fuerit: paßiones uerò probè dispositæ, facilè id exequentur, quod præscripserit ratio. Si igitur ratio male affecta fuerit, paßiones contrà bene: non est uirtus, quòd desit ratio. ex utrisque enim uirtus. proinde non contigerit uirtute abuti.* Simpliciter *uerò nō (quemadmodum arbitrantur alij) uirtutis principiū ac dux est ratio, sed magis paßiones. Oportet nanq; quandam primùm appetitionem innasci irrationalē, quæ producatur: deinde sic rationem demum raciocinari, ac*

discernere, diiudicaréque. Viderit autem & hoc quispiam ex pueris, & rationis expertibus animantibus. Nam in his citra rationem quædam prius exoriuntur affectuum appetitiones ad honestum: ratio uerò posterius adueniens, ac ratiocinãs, discernensque, efficit ut honesta peragantur. Sed si à ratione cœperit principium ad honesta: non ita consentiẽtes passiones cõsequuntur, uerùm sæpenumero cõtrouersantur. Quocirca principium ad uirtutem, passio probè affecta magis esse uidetur, quàm ratio.

De prospera fortuna. Cap. VIII.

Consequens hisce est, ut postquam de felicitate nobis est sermo, de prospera fortuna dicamus. Opinantur nanque complures felicem uitã fortunatã esse, uel absque fortunæ prosperitate nõ esse. atq; id forsitan rectè. Nã absque externis bonis (quorum domina est fortuna) neutiquam cõtingit felicem esse. Quam ob rem de prospera fortuna dicendum nobis est: necnon quis simpliciter sit fortunatus, & in quibus, et circa quid. Primùm ergo quispiã qui ad hæc accesserit, ac inspexerit, addubitare iure potuerit. Nec enim dixerit quis fortunam esse perinde atq; est natura. Nam natura semper est eius cuius existit causa, ut plurimũ modoq; eodem effectrix: at fortuna neutiquã, uerùm temere, sineq; ordine, ac utcunque contigerit. ideóque fortuna in huiusmodi esse dicitur. Neq; item dixeris eam intellectum quempiã esse, uel rectam rationẽ. Nam & hic nihilo minus est quod ordinatum, quódque semper eodẽ fit modo: in fortuna uerò minime. Eámque ob rem ubi plurimus intellectus ac ratio, inibi minima fortuna. contrà quoque ubi plurima fortuna, ibi

minimus intellectus. Caeterùm nunquid prospera fortuna est perinde quasi quaedam deorum cura, prouidentiáque? an id minime uideatur? Nam deum magno dignamur honore, ut qui talium existens dominus, meritis impartiatur bona iuxtà ac mala. Atqui fortuna, necnon ea quae à fortuna, sic uerè atque sors tulerit, fiunt. Quòd si deo impartiamus hoc ipsum, improbum eum iudicem faciemus, & nõ iustum. quod profectò deo haudquaquam cõgruit. Veruntamen ab his in aliud nihil fortunam quispiam ordinarit. proinde non dubium quin quidpiam horum fuerit. Porrò intellectus, & ratio, necnon sciẽtia, omnino alienum quiddam esse uidetur. Sed neque fortunae prosperitas, ea uidetur esse cura ac beneuolẽtia quae à deo est: propterea quòd in improbis insit: deum uero, malorum curam habere, cõsentaneum non est. Reliquum igitur & maximè peculiare prosperae fortunae est natura. Est siquidem prosperitas fortunae, ipsáque fortuna, in ijs quae nec in nobis sunt, neque quorum domini ipsi sumus, quaeq; possimus efficere. Ideóq; iustum nullus fortunatum appellitat, nec fortem, neque prorsus quempiam eorũ qui per uirtutem probi habentur: quãdoquidem in nobis sit haec & habere, & non habere. Verùm accommodatius ac magis proprie in huiusmodi dixerimus prosperam inesse fortunam, quippe qui generosum appellemus fortunatum: ac omnino eum cui talia inexistunt bona, quorum ne ipse quidem dominus est. attamen neque hîc quoque consentaneè prospera inesse fortuna diceretur. Porrò fortunatus multis modis dicitur. Nam cui praeter suam ipsius considerationem acciderit boni nonnihil fecisse, nimirum hunc fortunatum dicimus: necnon cui per rationem damnum infligi debuerat, eiusmodi hominem lucrũ facientem, dicimus fortunatum. Fortunae ergo prosperitas in eo

consistit, quod est cuipiam insperatò ac præter rationem nonnihil boni inexistere. Cæterùm impensius ac magis proprie fors fortuna in bono capiẽdo esse uidetur. nam bonũ subire ac capere, per se fortunatus euentus esse apparet. Quocirca fors fortuna, natura est rationis expers. nam fortunatus est, qui irrationalem ad honesta habet appetitionem, eáque consequitur. at uerò id naturæ est. Nam *animæ inest à natura idipsum, quo sine ratione ad ea concitemur, unde bene habemus. Quòd si quis rogarit ita habẽtem, Quam ob rem id tibi hunc in modũ agere placet?* Non *noui, inquit, sed mihi placet. simile nimirum patiẽs numine afflatis.* Nam *qui numine afflantur ac aguntur: citra rationem quandam habent appetitionem ad aliquid agendum.* Porrò *prosperitatẽ fortunæ non possumus proprio peculiariq́; nomine appellare, sed eam plerũque causam esse dicimus. Cæterùm causa à nomine alienum quiddam est. nam causa, & id cuius est causa, non idem, sed aliud sunt. & sine appetitione affectãte bona, causa nuncupatur: utputa mali non subeundi: eius quoque consequendi boni, quod non antea sumendum putabatur. Est ergo huiusmodi fors fortuna, ab illa distincta: uidetúrque hæc fortunæ prosperitas ex rerum interuentu, casuque ac per accidens fieri.* V*eruntamen ad felicitatem huiusmodi fuerit accommodatior ac magis propria fors fortuna, cuius in eodem principium appetitionis bonorum, est etiam assecutionis. Quoniam uero nõ est absque bonis externis felicitas, atq; hæc à fortunæ exoriantur prosperitate, quemadmodum haud ita pridem retulimus: nimirũ ea fuerit cooperatrix felicitati. Ac de prospera fortuna hactenus.*

De honesta probitate. Cap. IX.

Postquam

POstquam autẽ de singulis uirtutibus particulatim egimus, reliquũ iã fuerit ut de eis in uniuersum compositis singulis ac in summã contractis collectisq; dicamus. Itaq; honesta probitas nomẽ est neutiquã in eo perperam adscriptũ, qui perfectè probus est. Nanq; honestus ac probus tum censetur esse, cum perfectè studiosus: quippe quòd dicant honestum et bonum in uirtute esse: ueluti aiunt honestum ac bonum, iustum, fortem, temperãtem, ac prorsus in uirtutibus esse. Quoniam ergo in duo diuidimus, et hæc quidem dicimus honesta esse, illa uerò bona: necnõ bonorum hæc quidem simpliciter bona, illa uerò minime: & honesta quidẽ, ut uirtutes, & quæ à uirtute prodeũt actiones: bona uero, ut dominatum, diuitias, gloriam, honorẽ, et hoc genus reliqua: est nimirum honestus & probus, cui simpliciter bona sunt bona, cuíq; simpliciter honesta, honesta sunt. talis enim existit honestus & probus. At cui simpliciter bona, nõ sunt bona: neq; is honestus & probus est: perinde ac neq; sanus esse is uideatur, cui simpliciter salubria, nõ sunt salubria. Nam si diuitiæ & dominatus quempiam, cum assunt, sua offendant præsentia: ne tum sanè ipsi deligibiles fuerint: uerùm ea ipsa quæ non offendãt, sibi adesse optauerit. At uerò qui talis est, qualis qui sese subtrahit bonis, ne sibi adsint: ne is quidem honestus ac probus esse uideatur. Sed cui quæcunque existunt bona, bona sunt, neque ab his corrumpitur, puta à diuitijs et dominatu: nimirum iste honestus & bonus est.

De recta ratione. Cap. X.

DE eo autem quod est secundũ uirtutes recte agere, dictũ quidẽ est, at non sufficienter. Diximus siquidẽ hoc esse secũdũ rectã rationẽ agere. Ve

rũ hoc ipsum ignorans fortasse quispiã interrogauerit, quidnã demum sit quod secundum rectã ratione͂, & ubinã sit recta ratio. Est ergo tum secundũ rectam ratione͂ agere, cum pars animæ rationis expers non prohibuerit rationale͂ suam ipsius exercere actionem. tum enim actio secundũ rectam rationem fit. Nam cum animæ unam quidem partem deteriore͂ habeamus, alteram uero meliorem: sanè semper deterior melioris gratia existit: perinde ac in corpore & anima, corpus animæ gratia subsistit: ac tunc dicimus probè habere corpus, cum ad hũc habuerit modum, ut nihil quidem præpediat, uerùm etiam conferat & concitet quò anima suum ipsius expleat opus. Deterius siquidem ea est ex re, melioris causa, ut meliori cooperetur.

Cum igitur passiones mentem non præpediuerint quo minus suum exerceat opus: tum reuera fuerit quod secundum rationem peragitur. Verùm fortassis dixerit quispiam: quonam habuerint modo passiones ut non prohibeant, & quandónam ita habent? Nec equidem noui, neq; est hoc ipsum dictu facile. nam neque ipse medicus. sed cum dicat febricitanti ptisanam proferendam: roganti, quo pacto febricitare sentiam? cum (inquit) impalluisse uideris. at impalluisse quonam pacto sciero? hic subsistit medicus. nam si tua ipsius natura talium non habes sensum, non est ut indicari queat. Aequè quoque in alijs communis est talium ratio. Pari uerò modo habet & in passionibus dignoscendis. opus enim est ut nonnihil suo ipse sensu conijciat.

Inquisierit porrò & idipsum fortasse quispiam, nunquid reuera hisce cognitis, ero cõtinuo felix? nam sunt qui opine͂tur. Verùm id minime tale existit. nam ne ulla quide͂ ex alijs scie͂tijs discenti usum suggerit ac actionem, sed habitũ duntaxat. Ita ne hic quidem nosse hæc, suggerit usum. felicitas uerò actio est: quemadmodũ diximus. Cæterùm neq; habitũ quis assequitur

cognoscendo

cognoſcendo ea ex quibus eſt felicitas, ſed eis utēdo. Atqui horum uſum atque actionem nequaquā eſt huius pertractationis præbere. neq; enim alia ulla ſcientia uſum ſuggerit, ſed habitū.

De amicitia, & partibus eius. Cap. XI.

VErùm enimuero inter cuncta huiuſmodi de amicitia dicamus opus eſt, quidnā ſit, & in quibus, & circa quid. Nam quòd ad omnem uitā ipſam ſpectare ac protēdi perſpicimus, & in omni tempore bonū quoque eſſe: coaſſumēda utique fuerit ad felicitatē.

Primùm itaq; quæ addubitātur ac inquiruntur, præſtat fortaſſe percurrere: utrū nempe in ſimilibus ſit amicitia, ut uidetur ac dici ſolet. Etenim graculus (aiunt) graculo aßidet, ſempérque deus ſimile agit ad ſimile. aiunt quoq; canem dum dormit, ſemper in eadem tegula dormitare. necnon interrogatum Empedoclem, quam ob rem canis in eadem ſemper tegula dormiret, dixiſſe aiunt, quoniam canis habet quippiam tegulæ aſſimile, atque adeo ob ſimile eò canem tendere. Contrà uerò alijs quibuſdam uiſa eſt potius in contrarijs gigni amicitia. amat ſiquidem (inquiunt) terra imbrem, cum ſolum exaruit. quippe quòd contrarium (aiunt) contrario exoptat amicum eſſe. At in ſimilibus nihil fieri contingit. ſiquidē ſimile (ut aiunt) ſimili nihil indiget. atque his ſimilia afferūt. Amplius, utrum operoſum ſit amicum fieri, an facile? uelut aſſentatores, qui cōfeſtim aſſentiuntur: amici quidem non ſunt, at amici eſſe uidentur. Deinde & hæc quoque addubitantur, nunquid probus improbo amicus fuerit, an ſecus? Siquidem amicitia in fide & conſtantia eſt. improbus uerò minime talis eſt. Primùm itaq; definiendum fuerit, qualē conſideremus amicitiam. Eſt nanque (ut opinātur) amicitia & ad deum, & ad inanima. neutiquam

tamen rectè. Nempe amicitiam inibi esse dicimus, ubi est amor reciprocus. Atque erga deum amicitia, nec amorē reciprocū, neque omnino amare suscipit. Absurdum quippe fuerit si quis dixerit Iouē amare. Neq; item ab inanimatis amorem fieri reciprocū cōtingit. Amor tamē est erga inanimata, ut erga uinū, aut aliud quippiam huiusmodi. Proinde nec erga deum quærimus amicitiam, neque erga inanima, sed erga animata, atque erga ea in quibus est amor reciprocus. Porrò siquis deinceps cōsiderauerit quidnam sit amabile, nimirum aliud nihil esse uideatur, quàm bonū. Aliud ergo est amabile, & aliud amandū: perinde ac consultabile, & consultandum. Nam consultabile, ipsum simpliciter bonū: cōsultandum uerò, quod cuique bonum. Sic etiam amabile quidem, quod simpliciter bonum: amandum uerò, quod sibi bonum. Porrò quod amandum, idem quoque amabile: quod uerò amabile, non etiam amandū. Hinc igitur & hac de causa est addubitatio, num probus improbo sit amicus, an secus. Coniunctum nanque est quodammodo ipsi per se bono, quod sibi bonum: & amandum amabili. At uerò assectatur ac comitatur bonum, tam iucūdum esse, quàm utile. Proborum itaque est amicitia, cum se mutuò adamauerint. amant autem se inuicem, quatenus amabiles. amabiles uerò, quatenus boni. non igitur probus (inquit) improbo erit amicus. At uerò erit. nam quoniam bonum, id comitatur quod utile, & quod iucundum: si qui improbus est, idem quoque sit iucundus: hactenus amicus fuerit. idémque si commodus, quà commodus, eatenus amicus. Cæterùm huiusmodi amicitia propter amabile nequaquam fuerit (nam amabile erat bonum: malus uerò nō amabilis, quippe qui nec bonus) sed propter amandū. Siquidem à perfecta amicitia, quæ in probis desigitur, & hæ quoq; amicitiæ sunt ac dependent, utputa ea quæ ob iucundum, & quæ ob utile.

le. Qui ergo ob iucundum amat, non per eam amat amicitiam, quæ ob bonnm est: neque item qui ob commodum. Sunt porrò hæ amicitiæ, ea inquam quæ ob bonum, & quæ ob iucundũ, ac quæ ob utile: ne eædem quidem omnino, sed neque prorsus inter se inuicem alienæ: uerùm ab eodem, modo quodam appensæ adaptatæque sunt: perinde sanè ac dicimus medicum cultellum, medicum hominem, & medicam scientiam. neque hæc similiter dicuntur: sed cultellus quòd ad medicinam commodus sit, medicus appellatur: homo autem, quòd sanitatis sit effectiuus: at scientia, quòd causa existat atque principium. Pari quoque modo nec hæ amicitiæ similiter dicũtur: sed quæ proborũ, ob bonum, alia ob iucũdum, alia denique ob commodum. neque æquiuoce dicuntur, sed nec sunt eædem, uerùm circa eadem modo quodam, ac ex eisdem sunt. Quòd si quis dixerit, qui ob iucundum amat, non esse ea ex re huic amicum, quòd non propter bonum sit amicus: nimirum is demigrat in amicitiam proborum, quæ ex his omnibus coalescit, puta ex bono, & ex iucundo, & ex commodo. Quare non est reuera illa amicitia amicus, sed ea quæ ob iucundum, uel quæ ob commodũ. Vtrum ergo fuerit probus probo amicus, an non? Nihil enim indiget (inquit) similis simili. Porrò huiusmodi ratio eam uestigat amicitiam, quæ ob commodum est. nam quatenus alter altero indiget, eatenus sunt amici, ea amicitia quæ ob commodum. Cæterùm definita est alia esse quæ ob commodum amicitia, & quæ ob uirtutem, & quæ ob uoluptatem. Consentaneum itaque est & hos multo magis adinuicem amicos esse. nam cuncta ipsis insunt bona, & iucundum, & utile. Verùm probus quoque malo amicus. nam quatenus fortaßis iucundus est, eatenus etiam amicus: necnon & malus malo. nam quatenus idem forsitã ipsis confert, eatenus etiam amicus uterque

alteri. uidemus nanque id fieri, nimirum cum idem fuerit commodum, eos ob commodum amicos esse. adeóque prohibet nihil quo minus etiam ijs qui mali sunt, quippiam idem conferat.

Constantissima igitur meritò, & stabilissima ac honestissima, quæ inest studiosis amicitia: utpote quæ ob uirtutẽ & bonum existit. Nam uirtus per quam hæc cõciliatur amicitia, incommutabilis. Proinde consentaneum est rationi, & hanc amicitiam incommutabilem esse. At quæ propter utile amicitia, stabilis non est: sed unà cum utili concidit. æquè quoque quæ ob uoluptatem, stabilis non perstat. Quæ ergo optimorum est amicitia, ob uirtutem fit ac conciliatur: quæ uerò uulgi, ac multorum, hæc quidem ob cõmodum: illa uerò quæ ob uoluptatem, in gerulis ac mediastinis, ac ijs quæ accidũt. Contingit autem cum mali inciderint amici, indignari pariter, & admirari: atque id citra ullum incommodum. Nam cum amicitia principium ceperit uoluptatem, propter quam mali amici sunt, uel commodum: simul atque hæc deficiunt, neutiquam perdurat amicitia: at sæpenumero manet quidem amicitia: cæterùm abusus est amico: ideo nec ab re quidem indignantur. Est uerò ubi hoc haudquaquam est consentaneum rationi. neque enim tibi erga hunc ob uirtutem contingit conciliatáque est amicitia. Proinde non absurdum quoque fuerit, nihil ipsum efficere eorum quæ secundũ uirtutem: atque adeo nec rectè indignantur. siquidem initam propter uoluptatem amicitiam, eam quoque debere ipsis ob uirtutem inesse, arbitrantur. Hoc autẽ fieri nequit. nec enim quæ per uoluptatem ac commodũ amicitia, ad uirtutem adhærescit ac unitur. Voluptate igitur conciliati, non rectè uirtutem quærunt: quippe quòd nec uoluptatem nec commodum assectetur uirtus: sed contrà ea ambo uirtutẽ consequantur. Absurdum nempe fuerit, putare bonos non sibi inuicem

cem iucundißimos esse. nam & mali (quemadmodũ inquit Euripides*) ipsi sibi ipsis suaues iucundique sunt: quippe quòd prauus prauo coaptetur ac congruat. non enim uoluptatẽ affectatur uirtus, sed contrà uoluptas uirtutem consequitur.* Porrò *nũquid in proborum amicitia uoluptatem etiam adesse opus sit, an id minime oporteat?* Ab*surdum enim non uideri opus eße. nam si inibi ademeris ad se inuicem suaues esse, alios nimirum exquirent ad conuiuendum iucundos: quandoquidem ad conuiuẽdum maius nihil propemodum sit, quàm iucundos esse.* Atqui *absonum est nõ arbitrari decere probos maximè sibi inuicem conuiuere.* Cæte*rùm id citra iucundum esse nequit. oportuerit ergo maximè eis subesse, quo sint iucundi.* Quoniam *uerò in tres species diuisæ sunt amicitiæ: in his quoq; emergebat scrupus, fierétne amicitia in æqualitate, an contrà in inæqualitate.* E*st itaque secundum ambo. nam secundum similitudinem, quæ proborum, quæque perfecta est amicitia. at uerò secundum dißimilitudinem, ea quæ ob commodum. opulento siquidem est pauper amicus ob indigentiam earum rerum quibus abundat diues. necnon eandem ob causam improbus probo. nanque ob uirtutis inopiam, quòd sibi ab illo putet affore, eidem eam ob rem euadit amicus.* Fit *ergo inter dißimiles amicitia ob commodum. atque hac de causa dixit* Euripides, A*mat imbrem terra, cum exaruerit solum. tanquã hisce existentibus contrarijs, ea innascatur amicitia, quæ ob commodum.* Quòd *si ignem & aquam maximè contraria facere uolueris: sunt & hæc nihilo minus sibi inuicẽ utilia.* Nam *dicimus ignem corrumpi, si defuerit humor: tanquã hunc sibi perinde ac quendam cibum præparet, atque hunc tãtum, ut uincere eum poßit. nam si humor plurimus factus superauerit, corrumpitur ignis. sin cõmensuratus sit, conferet.* Nõ *dubiũ igitur quin in maximè*

G

contrarijs ob commodũ imascatur amicitia. Reducuntur autem cunctæ amicitiæ, tã quæ in æqualitate, quàm quæ in inæqualitate, ad tres prædictas species discretas. Porrò in cunctis amicitijs tum exoritur dissensio, cum non perinde amauerint, uel benefecerint, uel obsecuti sint, aut cum aliud quippiam id genus. Etenim cum hic quidem prolixe cumulatéq; fecerit, ille contrà defecerit: tum ob defectionem conuitium ac incusatio fit. Verùm enimuero in quibus unus idémque est amicitiæ finis, utputa cum utrique ob cõmodum sibi inuicem amici, aut ob iucũdum, aut propter uirtutem: apertus exploratúsque tum euadit qui ab altero committitur defectus. Nam si plura tu in me bona contuleris, quàm ego in te: neutiquam ambigo quin tu impensius à me amari debeas. At in ea amicitia in qua nõ propter idem sumus amici, plures exoriuntur dissensiones. defectio siquidem ab utroque, inibi incerta: ut si propter uoluptatem is quidem sit amicus, ille uerò ob commodum: nimirum hinc oritur ambiguitas. Nec enim qui commodo excedit, dignam cẽset uoluptatem quæ commodo rependatur. Neque qui uoluptate præcellit, parem uoluptati gratiam se existimat in commodo accipere. proinde in talibus amicitijs dissidia magis exoriuntur. Enimuero qui in inæqualitate sunt amici, nimirum excellentes diuitijs, uel alio huiusmodi aliquo, non se censent amare oportere: sed ab inferioribus & indigentioribus amari oportere existimant. At amare melius est quàm amari. nam amare, actio quædam iucunda est, & bonum. ab eo uerò quod est amari, nulla in eum qui amatur, cadit actio. Adhuc autem præstat cognoscere, quàm cognosci: quandoquidem cognosci pariter & amari, ipsis quoque inanimis competit: at cognoscere & amare, duntaxat animatis. Amplius, beneficum esse, melius quàm secus. at qui amat, quatenus amat, beneficus. qui

uerò amatur: quatenus amatur, minimè. Cæterũ homines propter gloriæ cupiditatem impẽsius exoptant amari, quàm amare: quòd quatenus amantur, eis quædam excellentia inesse uideatur. semper enim qui amatur, uel uoluptate, uel opulentia, uel uirtute præcellit. atqui gloriæ cupidus eminentiã affectat. ac qui excellunt, non sibi ea ex re putant amãdum esse, quòd ea in quibus excedunt, amantibus ipsos rependi arbitrentur. Ad*huc autem sunt ipsis hi quoque inferiores, atque ideo non censent amare se debere, sed amari. Sed qui egenus est pecuniarũ, aut uoluptatum, aut uirtutis: affluentem hic admiratur & amat, quòd ea consequatur, aut se consecuturum arbitretur.*

Porrò *tales ex simili affectu amicitiæ, ex eo quoque sunt ac conciliantur, quod est exoptare cuipiam bona inesse.* At *quæ in his exoritur amicitia, haudquaquam cuncta hæc habet. nam sæpenumero alij quidem adesse bona uolumus, attamen cum alio malumus uiuere.* C*æterùm utrum hæ amicitiæ dici debeant, an eius sint amicitiæ affectus, quæ perfecta, quæque ob uirtutem est?* In *ea siquidẽ amicitia cuncta hæc insunt. nam cum alio nemine uitam agere exoptauerit utique. siquidem iucundum & commodum ac uirtus ipsi insunt probo, cui quidem bona maxime exoptauerimus: & non cum alio aliquo uiuere, ac bene uiuere, præterquam cum illo.* Nunquid *uerò cuiquam sit erga se amicitia, an non: nunc quidem omittatur, posterius uerò dicemus. Sed enim cuncta nobisipsis uolumus. etenim ipsi nobiscum uiuere uolumus.* For*sitan & hoc quoque necessarium, nimirum bene uiuere, & uiuere, ac bonum uelle, non alij alicui.* Ad *hæc, similium nobis ipsis affectuum maximè sumus. nam si aberrauerimus, aut in aliud quippiam talium inciderimus: confestim tristamur. proinde uideri potest ita cuiquam esse ad seipsum amicitia.* T*alia nimi-*

rum, ut similem affectionem, bene uiuere, & hoc genus alia: siue in eam quæ ad nosmetipsos amicitiam, siue in eam quæ perfecta est, referentes, dicimus. In utrisque siquidē cuncta huiusmodi insunt: quandoquidē in eis sint, & unà uitam agere, & esse uelle, & bene esse, & id genus omnia. Rursus uideatur forsan in quibus iustū est, in eisdem etiam esse amicitiam. quam ob rem quot iustorum sunt species, totidem etiam amicorum. Iustum sanè est & hospiti erga ciuem, & seruo erga dominū, & ciui erga ciuem, & filio erga patrem, & uxori erga uirum, & quæcunque prorsus aliæ societates sunt. necnon singulis horum insunt amicitiæ. At amicitiarum constantissima ea uideatur esse, quæ hospitalis. nec enim ullus ipsis est communis finis de quo contēdant, perinde atq; est inter ciues. nam quòd hi inter se inuicem ob eminentiam concertent, non perdurant amici. Nunc demum dicēdum id fuerit, puta utrum erga se sit amicitia, necne. Quoniam ergo intuemur (ut paulo antea dicebamus) quòd ex ijs quæ per singula, nobis ipsi maximè exoptauerimus, nempe & bona, & esse, ac bene esse: necnon simili maximè ducimur affectu, similéque nobiscum maximè patimur, & nobiscum maximè uitam agere uolumus: proinde si ex ijs quæ per singula, dinoscatur amicitia, quæ autem per singula, nobismetipsis adesse uelimus: dubium non est quin perinde erga nosipsos sit amicitia, atque antea diximus iniuriam erga seipsum esse. Nam quoniam alius quidem est qui iniuria afficit, alius uerò qui afficitur, ac quisque ipsorum unus existit: propter idipsum non uidebatur esse ad seipsum iniuria. at nihilo minus est, quemadmodum id in animæ partibus perscrutantes indicauimus: nimirum quoniam est plura, pluresque perstringit partes: cum huiusmodi non consentiant, tum esse erga seipsum iniuriam. Pari itaque modo & hinc quoque erga se

amicitia

amicitia esse uideatur. Nã amicus is est, qualẽ cũm exprimere ualde amicũ uolumus, dicimus, Una est anima, mea, atq; huius. Quoniã ergo plures sint animæ partes, tum una fuerit anima, cum erga se inuicem consonãt ratio & passiones. sic nempe una erit. proinde hac una effecta, erit erga se amicitia. Porrò hæc *erga se amicitia, in probo erit: quandoquidem in eo solo animæ partes ex eo probè habent adinuicem, quòd nõ dissideant: quoniam malus neutiquam sibi ipsi amicus euadit: quippe qui seipsum semper oppugnet. Nanque incontinens cum quid ob uoluptatem perpetrarit, non longo pòst tempore pœnitentia ducitur, ac ipse seipsum improbat. Pari modo sese habet & in alijs uitijs ipse improbus: quippe qui perseueret ipse seipsum oppugnans, sibique reluctans ac contrarius. Verùm amicitia in ipsa etiam æqualitate consistit, quod genus est sodalitas: quæ sociorum existens, in boni æqualitate tam iuxta numerum, quàm potentiam desigitur. Neuter siquidem ipsorum debet altero plus sibi sumere, neque numero bonorum, neque potestate, neque magnitudine, sed æquale. socij nempe, æquales quidam haberi uolunt. At uerò in inæqualitate considet, quæ patris erga filium, quæ subditi erga imperantem, quæ melioris & deterioris, quæ uxoris & uiri, & prorsus inter quos potioris & deterioris ordo in amicitia intercedit. Atque hæc sanè amicitia ad inæqualitatem rationabiliter reducitur. neque enim in bono impartiendo ullus unquam æquale impartierit meliori & deteriori, sed maius semper ei qui excellit. Etenim id iuxta rationem æquale est. nanque modo quodam æquale euadit, cum minus bonum consequitur qui deterior est, maius contrà qui melior existit.*

De amicitia inter consanguineos. Cap. XII.

INter has autem omnes nuper memoratas amicitias maxime naturalis est amicitia atque dilectio quæ est in consanguinitate atq; propinquitate, præsertímq; patris erga filiũ. Et curnã pater filiũ magis amat, quàm contra filius patrem? An ne (prout nõnulli inter uulgares rectè aiunt) quòd pater quidẽ beneficio quodã affecerit filiũ: filius uerò gratiã debeat ob susceptum beneficium? Hæc itaq; causa in ea esse amicitia quæ ob cõmodum, uideri potest. Porrò quemadmodũ in scientijs habere perspicimus, sic habet quadantenus & hic. Dico uerò perinde atq; est. Est itaque idem finis, & actio: neque aliud quippiã est præter actionẽ, finis: perinde atq; tibicini idem actio, quod finis: quippe quòd tibia canere, ei sit finis pariter & actio. At id ædificatiuæ non cõpetit: quandoquidem præter actionem superest ipsi alius finis. Est igitur amicitia, actio quædam: neque uerò ullus alius dilectionis superest finis præter actionem, sed illud idem. Pater ergo semper magis quoquo modo satagit, ob hoc quòd suum ipsius opus sit filius. id quod in alijs quoque fieri intuemur. Cuncti siquidem erga id quod effecerint ipsi, euadunt quodam modo beneuoli. Pater igitur erga filium suum ipsius opus euadit quoquo pacto beneuolus: memoria nimirum & spe adductus. atque adeo pater impensius amat filium, quàm contrà filius redamet patrem. Verùm enimuero aliàs quæ dicuntur & uidentur amicitiæ, consideremus opus est: sint ne scilicet amicitiæ. Porrò haudquaquã simpliciter uideri potest beneuolentia amicitia esse. Nam sæpenumero quòd uideamus aut audiamus boni aliquid de aliquo, multis efficimur beneuoli: nunquid igitur tum quoque amici, an secus? Nec enim si quis Dario apud Persas existẽti erat beneuolus, quẽadmodum fortasse erat: cõfestim etiam ipsi cum Dario intercedebat amicitia

citia. Cæterùm amicitiæ principium, beneuolentia interdum esse apparuerit. at tum demũ beneuolentia amicitia efficiatur, si qui potest bona agere, asciuerit uoluntatem agendi, occasióne causáque illius cui est beneuolus. Moris *siquidem est beneuolentia, & erga morem. nemo nanque uino aut cuiquam alij ex inanimis bonis suauibúsue beneuolus esse cẽsetur. sed si quispiam fuerit secundum morem studiosus, erga hunc beneuolentia.* Nec *uero citra amicitiam beneuolentia, sed in eodem est adeóque apparet amicitia esse. Concordia autem est cognata amicitiæ: si modò propriè dictam sumpseris concordiam.* Nam *siquis* Empedocli *astipuletur, perindéq; sibi eadẽ uideătur elementa esse, quæ & illi: concórsne is fuerit* Empedocli, *an non: quòd nimirum huiusmodi, aliud quippiam sit?* Primùm *itaque non in eis est concordia, quæ sub intelligentiam, sed quæ sub actionem cadũt: neque in eis qui idem animaduertunt, sed si unà cum animaduersione eiusdem, assit quoque ad ea delectus circa quæ cogitant.* Nam *si ambo dominari cogitant animo, cæterum is quidem se, ille uerò se: nómne tum demum sunt cõcordes, an non?* Verùm *si & ego me uelim imperare, & ille me: tum sic sanè concordes euadimus. nempe concordare, in ijs est quæ sub actionem cadunt cum uolũtate eiusdem. Circa statum ergo imperantis, in ijs quæ sub actionem cadunt, eiusdem ea est cõcordia, quæ proprie dicitur.*

De amicitia erga se. Cap. XIII.

C*Vm autem sit (ut diximus) sibi erga se amicitia: utrũ probus sui amans fuerit, an secus?* Est *porrò sui amans, qui sua ipsius causa cuncta peragit in quibus quæpiam subest utilitas.* Prauus *ergo, sui amans erit. sua enim de causa agit ipse singula: probus uero*

minime. Hanc enim ob rem probus est, quòd alterius causa id agat, adeóque sui amans non est. Atqui cuncti appetitione feruntur ad bona: arbitrantúrq; maxime sibi debere inesse. quod quidem præcipuè exploratum euadit in diuitijs & dominatu. Probus igitur desistet, eáque alij concedet: non perinde quasi non sibi ea mirum in modum congruant: sed si alium perspexerit qui his appositius ipso uti possit. Alij uero id ob ignorantiam non facient (non enim putant se talibus bonis abusuros) aut propter ambitionem dominandi. Atqui probus neutrũ horum sibi suadebit. proinde ne quidem propter eiusmodi bona, sui amans erit. sed si forsitan, nimirum ob honestum fuerit. id enim solum nemini alij cesserit: at utilia & iucunda concesserit utique. Quocirca impensius ob honestatis electionem sui amans erit. ob eam uerò quæ in commodo & in dicta uoluptate defigitur: non quidem probus, sed improbus, sui amans euadet.

An probus seipsum maxime diligat. Cap. XIIII.

PORrò utrum probus nonnunquam sese maximo prosequetur amore, an non? Est itaque ut sese maximo prosequatur amore: est uero ut secus. Nam quoniam dicimus probum ea amico cedere bona, quæ utilia: suúmne ipsius amicum impensius amauerit? etiam profectò. sed quatenus hæc cedit amico, sibi honestum acquirit ac uendicat: hactenus ea ipsa neutiquam cesserit. Est igitur ut suum ipse amicum impensius amet: est contrà ut sese ipse maximè diligat. In ipso nanque commodo amicum, in honesto uerò ac bono sese maximè diligit: quippe qui ea sibi uendicat, quæ sunt honestissima. Quocirca boni quoque amans, & non sui amans euadit. nam si sese quidem

amet ipse: duntaxat quoniam bonus, amauerit. At *malus, sui amans euadit. nihil nanque habet propter quod amauerit ipse seipsum, ueluti honestum quippiam: sed sine his ipse quatenus ipse, sese amore prosequetur.* Proinde *hoc quoq; modo sui amãs proprie dicendus occurrerit.*

An qui sibi satis est, indiget amicis. Cap. XV.

DIcendum *deinceps est de per se sufficiẽtia, & eo qui sibi satis: utrum nimirum is qui ex sese sufficiens est, egebit amicitia, an non, sed ipse sibi satis fuerit etiam ea in re.* Dicunt *siquidem talia poetæ,* Nimirum *cum deus bene dederit, quid amicis opus est?* Hinc *quoque ambiguitas exoritur, utrum uidelicet qui cuncta nactus est bona, quique sibi satis est, amico indigebit, an tum etiam maxime.* Cuinam *enim benefaciet? aut quicum uitã aget?* Nec *enim solus tandem degere poterit. quòd si fuerit horum indigus, & hæc citra amicitiam non contingunt: indigebit itaque qui ex sese sufficiens est, amicitia.* Verùm *enimuero quæ in sermonibus ex deo similitudo sumi assueuit, neq; illic rectè, neque hic fuerit utilis. nec enim si deus sibi satis, neque ullo indiget: eam ob rem nos quoque nullo indigebimus.* Est *nimirũ de deo quidam hunc in modum iactatus sermo:* Quandoquidẽ *(inquit) cuncta bona obtinet deus, ac ex se sufficiens est: quid itaque aget? nec enim dormiet. spectabit procul dubio (inquit) nõnihil: quippe quòd hoc sit pulcherrimum, & maxime peculiare.* Quid *itaque spectabit? nam si aliud quippiã inspexerit, erit utique quod suspexerit, ipso præstãtius.* At *absurdum est quippiam fore deo præstantius. sese igitur ipse spectabit.* Cæterùm *hoc quoque absurdum. hominem nanque eum qui semetipsum inspexerit, tanquam insensatum obiurgamus. absurdũ proinde*

est (inquit) si futurus est deus sese dispiciens. Porrò *quid inspecturus sit deus, nunc omittatur. nam de ex sese sufficientia, non ea quidē quæ dei sit, sed quæ humana, à nobis præsens suscipitur consideratio, utrum nimirum is qui ex sese sufficiens, amicitia egeat, an secus.* Quòd *si quis in amicū intuitus, perspexerit quídnam sit ac qualis amicus: talis nimirum esse qualis alter ego, occurret, si quidem admodum amicum feceris, perinde ac quod dicitur,* Hic *alter* Hercules, *alter amicus ego.* Quādoqui *dem ergo difficillimum sit (quemadmodum nonnulli etiam sapientum dixere) seipsum nosse: idem quoque suauissimum euadit. sese enim nosse, iucundū sanè.* Atqui *ex nobisipsis haudquaquam possumus ipsi nosmet perspicere ac nosse.* Quoniā *igitur nosipsos ne ipsi quidem inspicere possumus: non dubium proinde est, quin ex quibus alios obiurgamus, & ipsi quoque discamus eadem committere.* Porrò *idipsum fieri accidit ob eam qua ducimur in nos beneuolentiam, aut ob passionem. nanque hæc complureis ex nobis adumbrant, tenebrísque obducūt, quò minus rectè iudicent.* Itaque *perinde atque cum uelimus ipsi nostram spectare faciem, iniecto in speculum uisu obtueri satagimus: pari quoque modo cum nosmetipsos nosse exoptauerimus ipsi, inspecto amico tum profecto cognouerimus: quippe quum sit amicus (ut nuper diximus) alter ego.* Quòd *si iucundum est sese nosse, idque scire non contingit sine altero amico: nimirum amicitia indiguerit qui ex sese sufficiens est, quò idem sese agnoscat.* Amplius *si honestum quidem est (ut certè est) benefacere eum qui fortunæ obtinet bona: cuipiam benefaciet. At uero & cum quopiam uitam aget. nec enim solus deget: quandoquidem cuipiam conuiuere, suaue iuxtà ac necessarium sit.* Quòd *si hæc honesta & iucunda, necnon necessaria, & hæc sine*

ſine amicitia eſſe non contingat: opus erit amicitia ei qui ſibi ſatis eſt.

Vtrum expediat multos habere amicos. Cap. X V I.

VTrum autem multos habere amicos congruat, an paucos? Nec profectò cõplures (ut ſimpliciter dicam) neq; paucos ſemper habere oportet. Nã ſi complures ſint: amorem unicuique impartire, operoſum ſanè erit. Nempe in cũctis etiam alijs imbecilla noſtra uirtus, ad plurimum protendi, ad plurimáque pertingere non poteſt. Neque enim uiſu quamplurimum intuemur: ſed ſi plus mediocritate inſtiteris, ob imbecillitatem naturæ deficit. neque item auditu, neque alijs omnibus, modo conſimili. Itaque ob impotentiam ab amore ſuperſedens, nec amans, iure improperia incurrerit, neque fuerit amicus non amans quidem, hac etiam ratione. atqui amicitia nequaquam id expoſcit. Adhuc autem ſi multi exiſtunt, non eſt ut à mœrore temperent & conquieſcant. nam cum plures ſint, par eſt ut ſemper uni cuipiã nonnihil ſiniſtri accidat: quod cum acciderit, triſtari eos neceſſe eſt. Sed neque rurſum paucos, utputa unum uel duos, expedit habere, at occaſioni ſimul, ac ſuæ ipſius ad amandum inclinationi, natiuæ que appetitioni, commenſuratos.

amoris effectus & cognat...

Quomodo ſit utendum amico. Cap. XVII.

SVb hæc conſiderãdum fuerit, quomodo utẽdum ſit amico. eſt porrò non in omni amicitia hæc inſpectio, ſed in qua maxime ſe inuicem amici obiurgant. Nec uero in alijs ſimilis emergit obiurgatio: ut in ea quæ patris erga filium, nequaquam talis eſt in-

crepatio, atque dignum in nonnullis censent, Vt ego tibi, ita tu quoque mihi. quòd si non, hic tum uehemens obiurgatio. Inter amicos autem inæquales, æquale locum non habet. atqui quæ patris ad filium amicitia, inter inæquales est, itidem quæ uxoris erga uirum, quæ etiam serui erga dominũ: & omnino quæ inter deteriorem & meliorem consistit. neque enim illis similes intercedunt expostulationes. Cæterùm inter æquales amicos, ac in ipsa æqualium amicitia, huiusmodi obiurgationes exoriuntur. Quocirca considerandum fuerit quonam pacto utendum sit amico, in ea nimirum amicitia quæ inter æquales est.

FINIS.